

05

A

1063



73



73 39
יהוה ייחודו

H. E.

PSALMUS DAVIDIS XXIII.

Qui sub Præsidio Viri

Plurimum Reverendi, Excellentissimi & Amplissimi

DN. WILHELMI LYSERI, SS. Theol.

D. ac Prof. Publ. & p. t. Pro-Decani, Alumnorum

Electoralium Ephori, nec non Canonici Misnensis, &c. Celeberrimi:

Dn. Præcept. & Promot. honoratissimi.

in Disputationem publicè sistitur

à

M. ANDREA FUCHSIO, Lipsiense

SS. Theol. Baccalaureo.

d. 27 IXbr. cl. 1645 XLV.

WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

PSALMUS DAVIDIS XXIII

Dr. Wilhelm Herrmann, 22. Theol.
Das Buch der Psalmen, Altona



05 A 1063

Verlag Johanns Röhm, Altona





I. N. J. A.

Enarratio succincta & solida Psalmi XXIII, CHRISTUM quoad Officium Ejus Pastorale egregiè describentis,

παραλογισμῶν

S. 1. Psalmus hic est in ordine vicesimus tertius.

Numeramus nos eum juxta numerationem Ebræorum & Lutheri. Aliàs Græci, quos sequuntur Latini in vulg. versione, dissentiunt in numeratione, convenientes quamvis omnes in numero; cum se hic tam apud Ebræos, quam Græcos & Latinos ad 150. Psalmos extendat. Ne autem numerus ipse per ordinem hunc diversum s. numerationem vel augeatur, vel minuatur, sciendum: Græcos & Latinos duos distinctos Psalmos, 9 & 10 compingere in unum, ex quo consequenter Psalmus 11 juxta Ebræos, est 10 juxta versionem LXX viral. & Latin. Veterem; sicque porro reliqui usq; ad 114 & 115 hoc ordine numerantur; ut ita noster fiat 22. Psalmum autem 114 & 115 juxta Ebræos, Latini & Græci rursùm conjungunt. Econtra iidem Psalmum 116 Ebræorum dividunt in duos, & in ordine numerandi sic pergunt, usq; dum veniant ad eorundem Psal. 147. quem in duos iterum dispescunt: ut ita numerus Cardinalis, & sesqui centenarius retineatur. Nos, ut dictum, potiùs Ebræam veritatem, ceu fontem, cum B. Luth. & aliis Interpp. sequimur, nihili facientes *Bellarmin. in Comm. Psal. 9.* numerationis suæ duplicem præbentem rationem, sed à vero alienam. Ait enim (1.) Psalmum 10 esse ἀνεπιγράφων, omniq; titulo carere, nisi quòd litteram Jod, denarii indicem, notatam habeat in margine: Undè ob exilitatem nimiam littera ista facile potuerit transiliri, & ab Interpp. Psalmus hic 10 cum præcedente 9 pro uno haberi. Verùm 1: sunt & alii Psal-

A 1

mi

mi ἀνεπίστατοι tituloq; carentes, veluti 2. 33. 43. 71. 91. 93. 94. 98. 96. 97. 99. 104. 105. 107. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 136. 137. 147. cur non hi quoque potuerunt conjungi? 2: Literam Jod quod attinet, exilitas ejus haud excusat; nam si sine fuce transferendi sunt fontes in Versiones, etiam minutissima puncta sunt in oculis tenenda, quæ & ipsa coæva sunt consonantibus, contra *Papistas*, licet appellationum novitatem quædam adepta: cum non rarò intercidant nomenclationes prisca, aliis substitutis. Ait (2.) *Bellarminus*: Psalmum 10 ejusdem esse argumenti cum 9. quod procul dubio sit principale variationis fundamentum. Verùm 1: ficulneum prorsus, cum sic plures Psalmi coagmentandi forent in unum, quia non multum argumentis à se distant. 2: Psalmus 9 Eucharisticus & Petitorius simul: Psalmus autem 10 tantum Petitorius est, E. non sunt unius argumenti.

Πόρεια. Ergò nec Lat. Vetus, nec LXX Viral. sunt authentica,

Pontificii pro ἀνεπίστα harum Versionum masculè pugnant, assentatores habentes etiam *Photinianos*, ut ita textum Ebraeum in V. & Græcum in N.T. eludant ac rejiciant. Ast verò cujus Versionis author non est Propheta, nec Apostolus, nec Evangelista, nec alius ad hoc opus expediendum à DEO immediatè excitatus; item, quæ à veritate fontiū multis in locis graviter aberrat: ea non est authentica. Minorem de citatis duabus probatam vide apud *Brochm. T. 1. LL. Tb. cap. 2. q. 11. 12.* Nos hîc addimus errorem, quem in ordine *Psalmorum* committunt ambæ; cum tamen ne minimus quidem apex, atque sic nec numeri alphabetarii in margine, textui Ebraeo frustra sunt illati.

S. 2. Author Psalmi hujus XXIII principalis est ipse DEUS.

Ab hoc tota est Scriptura Canonica. Nihil enim, quod scriptum, ab hominibus, quâ talibus, scriptum, sed omne soli DEO vendicandum. Hinc omnis Scriptura dicitur ΘΕΟΠΡΕΥΣ 2. *Tim. 3, 16.* Ita verbi revelatio tribuitur PATRI, *Luc. 1, 55. 70: Ebr. 1, 1.* FILIO, qui dicitur ΛΟΓΟΣ, quòd Consilium Patris de salute nostrâ enar-

enarraverit, *Joban. 1, 18. SPIRITUI SANCTO, 2. Sam. 23, 2: Act. 28, 25: 1. Petr. 1, 11: 2. cap. 1, 21.*

§. 3. Author instrumentalis seu minùs principalis est David.

Quanquàm aliàs longum Doctoribus intercedat litigium de Authore Psalmorum Ministeriali; an sc. unus David illorum sit author? an præter hunc reliqui, ut filii Core, Assaph, Salomo, Moses &c? quorum nomina Psalmis quibusdam inscribuntur. Nos tamen hâc lite jam superfedemus. Ipse quippe titulus, qui est clavis Psalmi, teste *Hieronymo*, satis & abundè monstrat Davidem authorem nostri præsentis. Qui quòd Sp. Sancti gratiâ peculiari illuminatus hunc aliosque scripserit, quodque ad hoc electus & immediatè vocatus à DEO, voluntatem Ejus per *ψαλμωδίας*, generi mortalium patefecerit, evidens est ex *2 Sam. 23, 2: Matth. 22, 43. Act. 1, 16: cap. 4, 24. 25: Ebr. 4, 7.*

Πορίσματα. 1. Ergò Psalmus hic est *θεόπνευστος* & *αὐτοπιςτος*

Hæc *θεόπνοια* & *αὐτοπισία* ex solâ Efficiente principali, quæ, ut dictum, DEUS, resultat. Est enim & ipse hic verbum DEI, potentia credenti ad salutem, *Rom. 1, 16.* Ac licèt *Schwenkfeldista* verbum DEI esse Ipsum DEI Filium pronuncient, sicque Scripturam quâ voces & quâ sensum rejiciant, tamen confundunt Verbum DEI *ἰσιῶδες* ac Substantiale s. Personale, *Job. 1, 1. seqq. 1. Job. 1, 1.* cum *ῥηθρορικῶ* s. orali, quod est ipsa DEI de seipso doctrina Sacris Literis comprehensa, *Luc. 8, 11. 12: cap. 11, 28: Act. 4, 31: cap. 6, 2. 7. & alibi.* Sumit ergò inconcessum *Schwenkfeld* pro concessio: quomodo vox ΛΟΓΟΣ in uno loco Scripturæ sumitur, ita quoque in altero.

2. Ergò nec David in enarratione hujus & reliquorum Psalmorum, nec reliqui verbi Scriptores errare potuerunt.

Photiniani & *Weigeliani* veluti in omnes DEI servos, sic in Davidem quoque vehementer sunt injurii, & in ipsum consequenter DEUM extremè blasphemi, dum eos in scribendo labi potuisse & mentiri, quin lapsos esse ac mentitos, ore diabolico effutire nil vere-

verecundantur. Et Smalzius disp. 7. contra Franz. contraria in Psalmis non pauca esse, scribit, iis, quæ habentur in Oratione Dominica. Ast verò: Quæ Scriptura θεόπνευστος, illam oportet ab ejusmodi hominibus esse profectam, qui in ipso scribendi actû nulli planè errori circa fidem fuere obnoxii: nam pugnant inter se, esse θεόπνευστον, & proficisci ab homine in ipso scribendi actu errori obnoxio. Accedit: Quæ Scriptura est à viris, non rationem humanam secutis, sed διὰ Πνεύματος Αγίου Θεορρημάτων, erronea esse nequit; quia DEUS est veritatis Spiritus, quin ipsa veritas infallibilis, quæ nec falli, nec fallere potest. Contraria illa sunt merè φανώματα, non ἀληθῶς λεγόμενα.

S. 4. Occasio scribendi hunc Psalmum fuit ereptio per manum DEI è magnis periculis.

Licet enim non constat, quando & quo motû propr. à Davide fuerit compositus: Nam quidam, ut *Chaldaus, & alii*, exaratum putant sub personâ populi ex Ægypto educti, quorsum allegant *Psalm. 80. v. 2.* Alii, ut *Alcuinus, & Athanas.* in *caten.* accommodant ad educationem ex Babylone. Nonnulli cum *Piscatore* autumant, eum scriptum esse, cum David exul degeret in Philistæâ, tutus ab insidiis & persecutione Sauli, in urbe Ziklag sibi donatâ, *2 Sam. 27, 5. 6. 7.* Alii, inter quos est *Henricus Mollerus*, tunc exaratum volunt, cum David jam pace frueretur in regno confirmatus. Attamen certum est, ansam scriptionis fuisse, quod è summis Davidem periculis DEUS eripuerit. Ac si nostrum addere deberemus calculum, postremæ omnium opinioni subscriberemus, quia stylus seu genus sermonis, ex animo sereno & tranquillo profectum, requirere id convenienter videtur.

S. 5. Subjectum circa quod seu Objectum est Ipse CHRISTUS.

Is enim est Pastor ille bonus ac fidus, quo de David hîc loquitur, quem vocat DOMINUM suum, quemque laudat ob collata beneficia tum corporalia tum spiritualia. Hic promittitur ab ipso DEO, *Esa. 40, 10. 11. Jer. 23, 4. 5. Ezech. 34, 23.* Hic exhibitus est in mundum

mundum, vitamq; posuit pro ovibus, *Johan. 10, 11.* & ad se reduxit
 oves errantes, *1. Petr. 2, 25.* De hoc loquitur David *in presenti tempore,*
 quasi jam fuerit exhibitus Messias, cum tamen multa retrò secula
 adhuc restabant. Sed hoc facit, quemadmodum idem CHRIS-
 TUS mox dicitur Sacerdos in æternum, *Psal. 110, 4.* mox Filius DEI
 genitus Hodie, *Psal. 2, 7.* mox Agnus ab origine mundi occisus,
Apoc. 13, 8. mox tentatus ab Israëlitis in deserto, *1. Corint. 10, 9.* mox
 CHRISTUS heri & hodie, *Ebr. 13, 8.* Nimirum (1.) ob Personæ τὸ
 ἰσότητος s. identitatem, quæ ΛΟΓΟΣ est Æternus, & sic tempore Da-
 vidis quoque existit, eumque in læta pascua eduxit. (2.) ob cer-
 tam in consilio DEI ad officium hoc pastorale, quoad etiam H. Na-
 turam, definitionem, & infallibilem prædictionem. (3.) ob insi-
 gnem fructum Officii hujus Pastoris, qui ad Ecclesiam quoq; V. T.
 redundavit.

**§. 6. Psalmus hic Eucharisticus & Paracleticus
 simul est.**

Hoc est argumentum & summa Psalmi. Nempe David con-
 gessit in unum varia beneficia CHRISTI, nostri Pastoris, ovibus suis
 collata: pro his laudat eum commendatque insigniter: simulque se
 consolatur ac certò sibi persuadet, inceptam in se beneficentiam &
 gratiam non fore sibi per totum vitæ cursum defuturam, sed me-
 diante illà in domo DEI, Ecclesiâ videlicet hîc militante, ibi trium-
 phante, securum se perpetuò mansurum. Atque ita, si accuratè ve-
 limus loqui, textus præsens non tam *Psalmus*, quàm *Hymnus* est vo-
 citandus. Psalmi enim dicuntur *Palladio, in Isagog. ad libros Propb.*
& Apost. titulo de Psalm. quoties aliquid à DEO petitur: Hymni
 verò, quoties pro accepto beneficio gratiæ Eidem aguntur. Ubi
 juxtà observandum, formam hujus hymni fuisse, quòd per modum
 cantilenæ sit factus. וְיָמִינֵי אֵלֶיךָ אֲמַרְתָּ אֱלֹהֵי אֲבוֹתָינוּ אֲמַרְתָּ
 scidit: quod per Metaph. in Piel significat: cantavit elegantibus nu-
 meris, composuit concisum & elegans carmen, quasi amputatum
 falcibus metri, & Musicâ tum vocali, tum instrumentali figuratum.
 Πόρσιμα. Ergò malè concentus Harmonici (unà cum Or-
 ganicâ Musicâ) ex Ecclesiâ relegantur.

Αυστία

Αυσία & Melancholia hæc est *Calviniana*, quæ Musicam Instrumentalem, & concentus Harmonicos tolerare nequit. Sed ut taceamus, tum *Pf. 149* & *Pf. 150*. tum exempla piorum Regum Chorum Musicum introducentium, *1. Reg. 10, 12.* & *2. Paral. 20, 21, 28.* in præfenti tantum vocis emphasin urgemus. Cum enim David Psalmos suos atque hymnos ut plurimum cantica nominaret, & quidem talia, quæ *numeris concisis* & *falcibus metri quasi fuerint amputata* & *figurata*, eaque DEO grata & accepta, quis etiamnum de tali concentu in Ecclesiâ retinendo dubitaret? Nec proin cum *Papânis* facimus, ut iniquè & injustè nos accusant Reformati, cum singularem cultum, uti non altaribus, candelis, imaginibus, baptisteriis, calicibus, vestibus linteis, &c. ita nec iisdem adscribamus. Hoc etenim notamus: *Musicam piam ideò colendam, non, quòd ubi non sit, pietas non sit, sed quòd ubi sit, pietas ferventior esse possit.*

Et tantum de *αεγλεγομύοις*.

Sequitur ipsa cum Bono DEO *αεγομύων* seu Psalmi contentorum *analysis* & *exegetis*, quæ duas in partes potest dispesci. Prior est *Generalis* *ἀπόδειξις* de *Providentiâ Divinâ*, ovibus à Pastore præstitâ, v. 1. Posterior *Specialis* *ἀπόδειξις* *Officii Pastoralis per Specialis actus*, v. 2. ad finem. Quas utrasque aphoristicè tractabimus.

PARTIS I. Declaratio.

§. 1. CHRISTUS Messias noster est verus animarum Pastor.

Frequens & usitatum est apud Ebræos, ut statim in limine orationis summam ejusdem ponant, quem morem usitatum in suis quoque Psalmis sæpissimè adhibuit David. Hunc etiam in præfenti Psalmo imitatur, ubi mox in frontispicio summam ac scopum totius Psalmi enarrat his verbis: *Jehovah Pastor meus, non deficiam*, v. 1. Constat hæc *ἀπόδειξις* *Antecedente* & *Consequente*. Major Propositio, cujus Consequentia in parte secundâ probatur, est ommissa, quæ talis: *Cujuscunque Pastor Jehovah est, ille non deficit*. Antecedens s. subsumtio est: *Jehovah est Pastor meus*, E. Latina Vetus, Lorinus & reliqui Papistæ sic vertunt: *Dominus regit me*. Verum ita
nimum

nimium contrahitur officium Christi Pastorale, dum illud per so-
 lum *Regium* explicatur, cum tamen hoc non solum (quatenus nos
 vocat ad Ecclesiam, inque ea tuetur ac nobis benefacit) sed una
 quoque *Propheticum* (quatenus est Doctor noster immediatè in die-
 bus carnis, mediatè adhuc per ministros) ac *Sacerdotale* (quatenus
 incarnatus pro nobis se DEO obtulit in mortem) includat. Nam
 pascere pios Verbo DEI, animas ipsorum convertere, &c. non ad
 officium Regium, sed partim Propheticum, partim Sacerdotale
 pertinent: quod & vox *Ebraea* רָעָה demonstrat, à רָעָה deducta,
 quæ propr. & primò est *pascere*, non verò *regere*. Chaldaeus expo-
 nens de populo Ebræo, qui fuerit pascus in deserto, vertit: *Dom-
 nus pavit me*. Sed meliùs Davidi tribuitur tota oratio, cum omnia,
 quæ sequuntur, etiam hic Paraphrastes de eo exponat. Alii red-
 dunt Verbaliter cum LXX: *ωκυδίνε με*, & Augustino: *Pascit me*.
 Ubi quidem non mutatur sensus; sed rectiùs tamen Nominaliter
 redditur. Nam licet רָעָה sit participium Benoni, h. l. tamen ha-
 betur pro Nomine propter affixum i. pers. Chirek magnum, quod
 non competit Participiis, quâ talibus. Hinc axioma formant
 Grammatici: *Participia Ebræorum non recipiunt affixa, sin recipiant,
 transeunt in Nomina Substantiva*. Optimè E. hæc verba vertuntur:
Jehovah (est) pascens vel Pastor meus, uti & B. Luther. *Der HERR
 ist mein Hirte*. Pastoris nomine Sacrae literæ omnem amoris, svavi-
 tatis, & curæ affectum volunt exprimere, atque sic plus ferè signifi-
 cant, ac si Patrem, vel ducem, vel regem, vel custodem dicerent, si-
 quidem Pastor & ducendi, & regendi, & servandi, & sanandi non
 solum sollicitudinem gerit, sed & quodammodò Pater est, monete
Mollero in b. l. Per *Pastorem* vero hinc non intelligitur Pastor aliquis
 mundanus aut temporalis brutorum animalium, siquidem Davidi
 non fuit animus, ovile mundanum describere, cum sic animæ suæ
 afflictæ & tentatæ non consuleretur: Sed loquitur de Pastore homi-
 num, cui talia prædicata tribuit, ut convertere animas, facere ut
 oves in æternum in ovili maneant, &c. quæ Subiectum non permit-
 tunt esse Pastorem temporalem. Parabolicè E. loquitur textus de
 pastore animæ, spirituali: ac licet Ecclesiæ Ministri etiam sic vo-
 centur *Jer. 3, 15: Eph. 4, 11. & alibi*; tamen etiam de illis sermo non
 est, cum nec nomen Jehovæ, nec attributa enumerata illis compe-
 tant,

tant. Et quamvis hæc attributa iis assignentur, merè tamen in-
 strumentaliter fit ac ministerialiter, cum constituti sint à Superiori
 super ovile spirituale, quod *Actor. 20, 28.* innuitur. Tales quoque
 Pastores dantur plures: aut David de uno loquitur, in singulari, quem
 Jehovah nominat. Est ergò Pastor iste nemo alius, quam Domi-
 nus noster JESUS CHRISTUS, cui hoc nomen non tantum à Pro-
 phetis tribuitur, *Ipsa. 40, 10. 11: Jer. 23, 4 5: Ezech. 34, 23: Zach. 13, 7.* & à
 Petro, *1. ep. 2, 25* sed qui Ipse quoque se Pastorem vocat, *Johan. 10,*
10, 11. & non nudè quidem, sed adjectâ partic. demonstrativâ, ὁ ποι-
 μὴν, ὁ καλός: videlicet à Prophetis populo Judaico promissus, &
 quidem ut unicus, *Ecles. 12, 11: Ezech. 37, 24:* quod ad se expressè ac-
 commodat CHRISTUS *Johan. 10, 16.* Undè & *Fbr. 13, 20.* magnus
 ovium Pastor appellatur: Ut ita καὶ ἐξοχλῶ καὶ ὑπεροχλῶ no-
 men istud habeat. Competit autem CHRISTO nomen Pastoris
 secundum utramque naturam, quia nomen est Officii. Nomina
 enim officii (quia secundum utramque Naturam CHRISTUS per-
 agit officium) ei quoque secundum utramque conveniunt, vel, ut
Concilium Chalcedonense loquitur: *Una Natura agit aut cooperatur*
cum communicatione alterius, quod uniuscujusq; Naturæ proprium est.
 Quare vero secunda, & non alia Trinitatis persona h. l. intelligatur,
 est exindè, quia Scriptura non aliam intelligit, quia & ad officium
 pastoritium requiritur habere carnem, quam nulla, nisi secunda
 Persona assumsit. Quomodo hæc consideratio nominis Pastoris
 nos moneat (1) de officio CHRISTI, quod est ad formam Pastoris ter-
 reni: Pascere & nutrire nos verbo suo & Sacramentis, ad aquas so-
 latii ducere, virgâ Evangelii sui regere, infirmos peccatores tolera-
 re, sanare, in viam revocare, & ab omni malo, diabolo, mundo,
 ac propriâ carne defendere ac tueri; sicque firmam nobis in adver-
 sis consolationem præbeat, *Psal. 46, 3 seqq. Psalm. 121, 3: Ephes. 3, 20.*
 (2) de officio & statu nostro post lapsum, quod non tantum simus oves
 errori naturali & connato semper obnoxia, *Gen. 6, 5: cap. 8, 21: Psalm.*
14, 3: Psal. 51, 7: Esa. 53, 6: Ephes. 2, 1: 1. Petr. 2, 25. sed & esse debeamus
 oves, Pastorem agnoscentes, sequentes, audientes, implorantes,
Job. 10, 3. 4. 14. 27. seqq. In practicis commentariis & concionato-
 ribus abundè videre est, quò Christianum ablegatum volo.

Ποιήματα. 1; Ergò CHRISTUS est θεὸς ἀληθινός.

Diximus

Diximus, nomen Pastoris esse nomen officii, quod CHRISTO competat non secundum unam tantum Naturam, proinde necesse est, ut DEUS atque HOMO simul sit. HOMO itaque est, contra *Schwenkfeldistas, Anabaptistas, Manichæos, & Weigelianos*, quorum illi *utrique* carnem CHRISTI non esse creaturam, sed è semine Patris cœlestis incorruptibili formatam asserunt; isti Mariam in cœlo CHRISTUM ex Sp. Sancti substantiâ concepisse contendunt; hi verò Eundem speciem tantum simulatam carnis humanæ repræsentasse ajunt. Verum *Pastor bonus vitam ponit pro ovibus, Job. 10, 11.* Jam si non esset CHRISTUS ex homine Homo, creatura vera, non posset animam ponere, h. e. pati ac mori: DEUS enim in suâ naturâ & essentiâ ἀπαθής est: incarnatus itaque, ut mori & pati posset. Deinde & DEUS est, contra *Photinianos, Judæos, Weigelianos & Arrianos*, quorum hi jam olim hostes fuere Trinitatis; isti Filium Patri Deitate æqualem negant; *Judæi* Messiam nudum hominem asserunt; *Photiniani* solum PATREM verum DEUM profitentur. Sed *bonus Pastor iterum ponit animam pro ovibus.* Ut E. CHRISTUS hoc præstare valeret, nempe pati ac moriendo nos redimere, sicuti explicat *Jobannes ep. 1. cap. 2, 2.* & de Pastore Nostro affirmat *Esaias, cap. 53, 4. 5.* opus erat, Eum esse DEUM. *Summa:* Pastor noster esse debuit DEUS & HOMO, ut fieret Mediator inter DEUM & Hominem, *1. Tim. 2, 5.* Hinc *Andreas Osiander* malè Divinæ Naturæ tantum; *Monachi, Stancarus, & Jesuitæ* malè Humanæ Naturæ tantum, Opus Mediatorium ascribunt.

2. Ergò reverà est peccatum Originale, nec liberum arbitrium in spiritualibus post lapsum relictum.

Pelagianorum (qui nullum ex Adamo peccatum carnali propagatione derivari in posteros, sed exemplo in nos transire, hinc & Baptismo infantum peccata non deleri, sed aperiri tantum illis regnum cœlorum, asserunt.) *Anabaptistarum* (qui peccatum morte CHRISTI sic expiatum docent, ut infantes labis omnis expertes nascantur, & Baptismo non indigeant.) *Pontificiorum* (qui & aliquos homines à peccato eximunt originali, & in aliquibus in quibus est, peccatum non esse inquit.) *Photinianorum* (qui omninò nullum esse peccatum originale volunt, atq; id pro commento habent.) atque *Arminianorum* (qui in N. T. peccatum originale pe-

nitus sublatum contendunt) hæc est *ὁμοψυχία*; ut omnes proinde liberum arbitrium nobis adhuc esse integrum circa spiritualia necessum habeant fateri. Egregia sanè harmonia! Quibuscum consentire ex parte videntur etiam *Calviniani*, qui Christianorum liberos sanctos nasci contendunt. Enimverò *naturaliter sumus oves*, ut dictum, etiam quamprimùm nascimur, erramus, opus habentes Reductore. Quocircà non est, ut ab adversariorum parte simus. Evolvantur dicta, quæ de statu post lapsum naturali suprâ adduxi; & addantur *Job. 14, 4: Job 3, 6: Rom. 7, 5, 17: 1 Cor. 2, 7. 8. seqq. 2 cap. 3, 5: Ephes. 4, 17. 18: cap. 5, 8: Ebr. 12, 1. &c.*

3. Ergò cognitio Personæ CHRISTI tam in V. quàm N. T. necessaria fuit ad salutem.

Præter id, quod *Photiniani & Arminiani* statuunt, diversum consequendi salutem modum esse, sicque Patres in V. T. non eadem, quâ nos, salvatos esse viâ; etiam salutem addunt obtineri posse extra CHRISTI cognitionem. Sed malè. Nam *ovis* Personam novisse debet Pastoris, si cum eo conversari cupit, & ab eo in vera pascua deduci. Oves sunt omnes homines, etiam qui in V. T. vixerunt. Hinc & David in hoc Psalmo DOMINUM Pastorem suum agnoscit inquiring: *Jehovah Pastor meus*. Confer dictorum generalitatem, *Esa. 53, 11: Habac. 2, 4: Job, 14, 6: Actor. 14, 12: cap. 10, 43. cap. 15, 11: Ebr. 11. per totum ferè, &c.*

§. 2. CHRISTUS Pastor noster est Pastor Davidis.

Ponitur nomen Pastoris in statu affixionis, cum aff. i. pers. Chirek magno, quando David ait *יהוה רעי* DOMINUS Pastor meus. Quod affixum s. Pronomen MEUS tripliciter inducit Davidem de Pastore suo loquentem. Siquidem (1.) considerat se David ut *hominem*; (2.) ut *electum*; (3.) ut *Individuum*. Primo respectu ostendit, DEUM hinc considerari, ut Pastorem hominum. Non *angelorum*, qui hoc singulari officio non indigent, cum in bono jam sint confirmati: non *diabolorum*, qui perpetuo exitio destinati, *2. Petr. 2, 4. & Jud. v. 6*; non *brutorum*, quæ sub hâc speciali DEI providentiâ non comprehensa: sed *hominum*; horum Salvator est ac Mediator, *1 Tim. 1, 15: cap. 2, 4: cap. 4, 10*. Secundo respectu demonstrat, quinam specialiter hoc officio Pastoralis fruuntur,

tur, nimirum *sancti & electi*. Quamvis enim ad sua pascua Pastor fidus omnes vocet; *Matth. 11, 28: cap. 28, 19: Coloss. 1, 20*. in iudicio tamen extremo separabit, & ad inferos relegabit hircos, h. e. infideles, aut in fide non perseverantes; *Matth. 21, 45*. Tertio respectu monet nos de *fiducia* podendâ in Pastorem nostrum. Non enim dicit tantum David: Jehovah est Pastor, sed, Jehovah est *Pastor Meus*: & quia *אֶתְּרֵי* interdum significat etiam associavit se & amicus fuit, imprimis sicuti pecora simul pascuntur, *Jud. 14, 20: 2 Sam. 12, 11: Prov. 13, 20: cap. 18: 24: cap. 29, 3*. igitur & verti potest secundario & improprie, *socius meus, amicus meus*. Atque ita per fiduciam sibi applicat Psalmista beneficia CHRISTI officio nobis comparata, & hæc maximè ad salutem necessaria. Si enim beneficia per Meritum CHRISTI parta non applicantur nobis, etiam nil profunt, nec prodesse possunt. Ac licet CHRISTUS pro omnibus mortuus, *Job. 3, 16: Rom. 5, 18: 2 Cor. 5, 15. 16: 1. Job. 2, 12*. non tamen omnes salvantur, sed multi pereunt, ut adeò dicatur mortuus pro eo quoque, qui sanguinem foederis pedibus conculcat, *Ebr. 10, 29*. Hinc infideles à fidelibus dispescuntur, *Job. 3, 18: 1. Job. 2, 2*. Qua propter ut nobis profit, credendum est, ac fiducia ponenda in Pastoris meritum, ita ut non solum dicamus, CHRISTUM Pastorem esse, mortuum esse: sed & quilibet exemplo Davidis statuatur, CHRISTUM *suum* Pastorem *pro se* in specie esse mortuum: Quemadmodum benè *B. Luther*. fidem dixit esse manum quasi mendici, Meritum CHRISTI apprehendentem. Hanc fidem sancti sunt hinc inde professi, *Publicanus Luc. 18, 13. Maria cap. 1, 47. Thomas Joban. 20, 28. Paulus Gal. 2, 20. & alii.*

Πορισματα. 1: Ergò soli homines CHRISTUM habent Mediatorem.

Sic in aphorismo jam allato fuit auditum, quando scil. David dixit: Jehovah est Pastor *meus*, utpotè hominis, non angeli, non diaboli, non bruti. Contrà jam eunt *Calvinista & Papista*. Hi simpliciter & absolute; illi limitatè, scil. non ratione redètionis à peccato & poenâ, sed conservatioms in bono, bonos angelos CHRISTUM Pastorem ac Mediatorem habuisse asserunt. Verùm nunquam in Scripturis hoc legitur: nunquam angeli fuere oves errantes, ut opus habuerint Mediatore aut reductione.

cuntur, quia bonitatem, ad quam conditi, non modò retinuerunt, sed & in bono sunt ita confirmati, ut in æternum ampliùs non excidant. Et proindè absurdum, quod ait *Origen. homil. 13. in Luc.* etiam angelos castigari, si non benè nobis præsent. Quod autem malos attinet, eorum Redemptor CHRISTUS haud est factus; quia non semen Angelorum, sed Abrahæ assumpsit, *Ebr. 2, 16*, imprimis cùm hïc in Consilio & voluntate SS. Trinitatis sit acquiescendum. Ridiculum vero est & hoc, quòd sub Papatu *Franciscus* a vibus ac piscibus Evangelium prædicasse legitur. Est hoc ἀγγελοφον non modò, sed & ἀνθρώποφον, cùm solis hominibus id fieri demandetur, utpotè rationalibus, qui soli expectant vitam æternam, cujus consequendæ causâ per Evangelium debent ad DEUM reduci.

2. Ergò Ethnici sine fide verâ non poterunt salvari.

Miramur jure *Zwinglium* & ejusdem sociennos, qui etiam ethnicos, ut *Herculem*, *Socratem*, *Aristidem*, *Catones*, *Scipiones*, & alios salvandos esse proloquuntur. Renati soli & præcipuè Electi possunt dicere: *Jehovah Pastor meus*. Jam sicuti non omnes sunt electi, sed qui credunt tantùm in CHRISTUM finaliter: ita non salvantur, nisi electi. Etenim hi verè sunt & manent oves Pastoris CHRISTI, è cujus manu nemo eos diripiet, *Job. 10, 28*. Qui verò permanent in errore, in incredulitate, nec pastorem, quo mediante reverti & servari debent, nòrunt, hirci sunt à sinistris collocandi, *Matth. 25, 33*. Hinc concludimus cum Scripturâ: qui non crediderit, condemnabitur, *Marc. 16, 16*.

3. Ergò fides implicita Papistarum non est salvifica fides.

Confutat particula MEUS, tertio respectu cum primis sumpta, errorem *Pontificiorum*, quòd fides salvifica tantùm in intellectu, non autem cordis fiducia sit. Verùm fides Pontificiorum carbonaria, potiùs ignorantia, quàm notitia est. Nos econtrâ statuimus quidem, fidem esse cognitionem generalium promissionum, *Matth. 11, 28*: *Job. 3, 16*: *Actor. 13, 39*: *1. Tim. 1, 15*. Quia verò & infideles quidam notitiam habent, sed sine assensu, ideò opus est, ut, quod cognoscimus, etiam verum esse credamus: & hæc nudè si ponatur, est historica tantùm fides, quæ diabolis etiam competit,

Jac. 2,

Jac. 2, 19. Quare salvifica requirit adhuc cordis fiduciam, ut quisque certò statuatur cum Davide, CHRISTUM suum esse Pastorem, h. e. peccata sua per CHRISTUM esse ablata, *Esa. 53, 4. 5.* DEUM ipsi esse reconciliatum, *Roman 5, 10.* ipsum è potestate diaboli esse ereptum, *Col. 1, 13.* à maledictione legis liberatum, *Gal. 3, 13.* CHRISTUMq; habere apud Patrem advocatum, *1. Job. 2, 1.* ne inferorum portæ adversus eum quicquam valeant, *Matth. 16, 18.*

4: Ergò quilibet potest esse certus de suâ electione ad salutem.

Hæc certitudo respectu DEI Omniscientis quamvis sit planè infallibilis, haud tamen est absoluta, sed respectu mediorem restricta & conditionata; videlicet si quis credit in Pastorem suum, sibiq; constanter illum cum Merito & beneficiis applicat per particulam MEUS, præeunte Davide. Firmiter enim concludere possumus: Quicumque credit, salvatur, *Marc. 16, 16.* Ego David, Andreas, Petrus, Johannes, Maria, Martha, Elizabeth, &c. credo: E. Salvus ero, E. & electus ad salutem. Consequentiam juramento DEUS comprobatur, *Ezech. 33, 11: Job. 5, 24.* inque cordibus piorum confirmatur *Eph. 4, 30: 2 Cor. 1, 21. 22.* ut certò sibi perivadeant, se per nullam unquam creaturam separari posse à dilectione DEI, quæ sit in CHRISTO JESU, *Rom. 8, 38. 39.* Quæ omnia firmissima sunt argumenta contra dubitationem *Papanam & Arminianam*, quæ suos incertos reddunt de electione, atque ad desperationem adigunt, prout in eorum scriptis videre est.

S. 3. CHRISTUS Pastor Davidis est verus DOMINUS.

Explicato *Predicatio Antecedentis*, restat ut dicamus de ejusdem Subjecto, quod est *Jehovah*. Etsi enim Subjectum illud, cui Pastoris officium competit, diximus esse CHRISTUM: Propheta tamen h. l. alio nomine utitur, & eundem appellat *Jehovam*. Rationem videas in *aphor. 1.* De voce autem יהוה notamus hîc sequentia. (1.) *Drusus* legendum pro eâ dicit *Jave* vel *Jevo*, quia putat blasphemiam in DEUM, si legatur *Jehovah*, quòd coincidat cum ethnicâ voce Jovis. Et *Rabbini* legunt semper pro eâ *Adonai*. Verùm ridiculum est, nullaque blasphemia, cum Ipse DEUS in

Scrib

Scripturâ nomen istud ut legibile, legendumque expresserit. Hoc interim dicimus, magnam Nominis hujus reverentiam esse habendam, & abusum ejus contra secundum Decalogi præceptum vitandum. (2.) Significat ea quasi *Essentiatorem*, qui *Essentiam* divinam puram & nudam in & à seipso habeat, omnibusque creaturis *essentiam* largiatur: undè ab יהוה derivari dicitur. *Exod. 3, 14.* Confer *Apoc. 1, 4.* (3.) Sumitur aut *essentialiter*, *Gen. 2, 4: Exod. 20, 2. 5. 7: Deut. 6, 4.* & alibi passim: aut *personaliter*, de DEO PATRE, *Psal. 2, 2: Psal. 110, 1. Prov. 8, 22. &c.* de DEO FILIO, *Jer. 23, 6. cap. 33, 16. b. l. &c.* de DEO SPIRITU SANCTO, *Deut. 32, 12: Esa. 62, 2. 11. Zachar. 6, 9. &c.* (4.) Non est appellativum & commune creaturis, sed *proprium ac soli vero DEO* competens: Quod Ipse de se DEUS fatetur *Esa. 42, 8. & capp. seqq.* & in quo *Aben Esra* ipse acquiescit: de quo Theologi consulantur.

Ἰσοουα. Ergò CHRISTUS est verus & Essentialis DEUS.

Inter suprâ dictos *ἰσοουαχες* sunt præcipui moderni *Photiniani*, qui dicta Deitatem CHRISTI probantia contorquere atque enervare contendunt. Tale qq. præsens est de nomine יהוה ex quo argumentari consuevimus: Cui competit nomen *Jehovah*, ille est verus, æternus, ac essentialis DEUS; atqui CHRISTO competit, &c. E. Minor est inter alia in Psalmi nostri v. 1. Majorem negant adversarii, prætendentes, hoc nomen etiam competere creaturis aliis, ut angelis, altari Mosis, &c. Verùm probamus eam hoc ratiocinio: Quodcunque nomen (1.) DEUS sibi ut proprium reservat, (2.) ex quo verus DEUS cognoscitur, (3.) quod etiam in controversiis soli DEO vero tribuitur, id ejusdem nomen proprium est. Assumptio Minoris probatur ex *Esa. 42, 8: Exod. 3, 16. 17: 1 Reg. 18, 21. 24. 39.* Ad exceptiones ergò hæreticorum reponimus, 1: *quandocunque angelus dicitur Jehovah, non est intelligendus creatus, sed increatus, qui nullus alius est ac Filius DEI, Exod. 3, 16. seq: Esa. 63, 9.* 2: *quæstio non est de nomine יהוה, si cum aliis nominibus jungatur ac ponatur, quo creaturæ non tam nomen Jehovah tribuitur, quàm aliqua actio circa creaturam assignatur, (ut Exod. 17, 15: Jehovah vexillum meum; ibi altare non dicitur Jehovah, sed notatur præsidium Divinum, & gratia in h. l. singulariter præsens): Sed*

de

de nomine Jehovah, si absolutè sumatur, in casu recto, quo modo est
soli DEI proprium.

S. 4. CHRISTUS verus DEUS, ut Pastor, ovibus suis
nil patitur deficere.

Consequens est hoc primæ nostræ partis, quod ex Antecedente
hactenus explicato infertur. Nam quando David ait: *Dominus
Pastor meus*: concludit dein enthymematicè ipsi nihil defuturum,
his verbis: **דָּוִד אֵלֹהִים** non deficiam vel indigebo. Junius & Tremel-
lius, non possum indigere. Piscator supplet connexionem per idcirco
non indigebo. LXX: **ὅθεν με ἐσθλήσῃ**, nihil me deficiet. Chaldaeus:
non defuit eis quicquam; quia, ut dictum, de Israël loquitur ex de-
serto educto. Per id, quod Davidi, & omnibus ovibus CHRISTI,
non debet deficere, non indigitur malum, siquidem hoc & impiis
competit, & nemo id, quæ tale, appetit, aut sibi dari postulat, sed
aversatur potiùs ac fugit, quoad potest: sed intelligitur bonum, cu-
jus largitio summum DEI beneficium est. Hoc bonum concludit
sibi David haud defuturum, sicuti *Psal. 34, 10. 11.* quo Divinæ Pro-
videntiæ monstrat certitudinem, quòd scil. DEUS, ut Pater & Pa-
stor noster, omnis generis bona nobis sit largiturus, *Matth. 7, 11.* de
quâ *Psal. 104. totus*, & *Act. 17, 25.* videri possunt. Sunt autem bona
imprimis duplicia, *Spiritualia & Corporalia*. Ea sunt vel *gratiæ*, vel
gloriæ; ista vel *fortune*, vel *naturæ*. Bonum (1) est *fortune*, quod ap-
petibile est, 1: *ratione necessitatis*, 1. *Tim. 6, 8.* 2: *ratione ἀνταρκειας*, 1. *Ti-*
mot. 6, 6: Phil. 4, 11. 12. 3: *ratione ubertatis & copiae*, quam piis interdum
DEUS confert, *Genes. 24, 35: 1. Reg. 3, 13.* interdum tamen negat,
Luc. 16, 21. (2.) *Naturæ*: quod consideratur ratione vel *totius homi-*
nis, vel *partium ejusdem*. Totus homo experitur Pastoris sui bene-
ficia in vitæ ingressu, *Psal. 22, 10.* progressu, *Psal. 39, 6. 7. 13: Psal. 119, 19:*
Rom. 8, 21. 23: 2. Cor. 5, 6. & egressu, *Phil. 3, 20: Ebr. 13, 14.* Quoad ani-
mam deinde ornatur ingenio, sapientiâ, & aliis illustribus donis,
1. Reg. 3, 9. 12: Sap. 8, 19. quoad vero corpus staturâ congruâ, firmâ va-
letudine, *2. Sam. 14, 25: Sir. 30, 17.* (3.) *gratiæ*: quæ duplices, vel *salu-*
ris mediæ; vel *salus ipsa*. Media sunt vel *ordinaria*, Verbum vi-
delicet, fidem generans, & conservans, *Rom. 1, 16: cap. 10, 16.* & Sacra-
menta, quæ itidem effectum suum spirituales habent, *Marc. 16, 16:*
Job. 3, 5: Rom. 4, 11: 1. Cor. 11, 26: Eph. 5, 26: Tit. 3, 5. vel *extraordinaria*,
donum

donum Propheticum, Num. 12, 6. linguarum ac miraculorum, 1 Cor. 12, 8. seqq. Illa singulis offert: hæc pro ordinatione singulari voluntatis suæ dispensat, 1. Cor. 12, 11. Ex his mediis DEUS salutem hominum generat, quæ sub regno gratiæ cum primis consistit in justificatione, Rom. 3, 23. 25: cap. 5, 17. liberatione à peccatis, Rom. 8, 1. tranquillitate conscientiæ, Rom. 5, 1. & gratiosâ DEI in habitatione, 1. Corint. 3, 16. (4.) gloriæ: à mortuis gloriosa ad vitam resuscitatio, 1. Corint. 15, 42. seqq. resuscitatorum claritas, Dan. 12, 3: Matth. 13, 43. DEI visio, Psal. 42, 3: Job. 17, 24: 1. Cor. 13, 12. Angelorum & Sanctorum consortium, Luc. 16, 22. de hostibus triumphus, Sap. 5, 1. seqq: 1. Corint. 15, 55: Apoc. 12, 10. & ineffabilis lætitiæ, Apoc. 7, 15. seqq: cap. 21, 4. De his omnibus ait Psalmista, quod nullum ipsi sit de futurum. Quæ abundantia tamen non ex rationis nostræ æstimo & oculorum, sed verbi DEI permissione judicanda est.

Πόρεια. Ergo pii semper instructi sunt bonis sibi necessariis.

Contradicit huic Θεός nimirum quantum Caro & Ratio nostra, quando piæ mentes non externis tantum bonis sæpius se orbari, sed & spiritualibus quandoque carere clamant. Enimvero quò his obviam eatur cogitationibus, sequentes regulæ sunt observandæ. (1.) Bonum absolutè dictum nunquam finit DEUS deficere suis fidelibus, aliquando tamen bonum comparatè dictum. Illud est vita æterna cum omnibus ad eandem ducentibus: & hæc DEUS haud finit electis suis deficere, sed ea semper offert atque exhibet Job. 10, 27: cap. 3, 16: Act. 17, 30. 31. Ac etiam si ad tempus aliquibus retrahit, Matth. 10, 5: Marc. 7, 27. attamen non in totum denegat, quoad ordinaria media salutis; cum extraordinaria juxta placitum distribuat. Per bonum vero comparatè dictum intelliguntur ea, quæ ad hanc vitam pertinent; & hæc DEUS pro œconomiâ suâ dat & adimit sine detrimento salutis, Matth. 6, 33: Job. 1, 21: cap. 2, 7: 1 Sam. 19, 1: 2 c. 15, 14. (2.) Bonum minus, quat. evertit bonum majus, malum est. Ita majus bonum est vita æterna, quàm bona fortunæ ac divitiæ. Quatenus ergo divitiæ sunt impedimentum majoris boni, pietatis nempe ac salutis, pro malo meritò habentur, Prov. 30, 9: Matth. 19, 23. 24: Luc. 16, 19. 23. Undè sæpè DEUS nobis adimit bonum minus, atque paupertatem immittit, ne amittamus bonum majus,

Luc. 6,

Luc. 6, 20: cap. 16, 25. (3.) Quodvis malum poena ac fortuna, deducens (sive per se, sive per accidens) ad verum ac solidum bonum, bonum est. Crux est hujus regulæ exemplum, quæ quidem mala videtur, interim ad verum bonum ducit, *Psal. 119, 21: Rom. 5, 3: cap. 8, 28: 2 Tim. 2, 11. 12: 1. Petr. 4, 12. 13: Jacob. 1, 2.* Undè non mox de illis, qui sub cruce sunt, judicandum est, quasi impiissimi sint, & quasi v. bono destituantur, quo sæpè maximè abundant, *2 Cor. 6, 10.*

Hactenus pars prima. Sequitur.

PARTIS II. Expolitio.

S. 1. CHRISTUS Pastor noster est verus Propheta; & quidem 1: pabulum animæ præbens.

Postquam David in priori Psalmi parte descripsisset Pastorem, indeque firmam de ipsius præsidio concepisset spem ac fiduciam, subjungit nunc in alterâ *Officii Pastoralis* enucleationem. Complectitur autem officium hoc Pastorale triplex Officium CHRISTI: *Sacerdotale*, quo seipsum pro nobis in arâ crucis obtulit hostiam DEO, *Psal. 110, 4: Ebr. 5, 5. 6: cap. 8, 1: cap. 9, 11. Propheticum*, quo ut Propheta à DEO promissus, *Deut. 18, 15.* in his terris obambulavit & docuit, *Actor. 3, 22. & Regium*, quo ut Rex noster regit ac defendit nos, *Psal. 21, 6: Psal. 110, 2.* Ac licet Officii Sacerdotalis non ita sæpè expressa fiat in Psal. præsentis mentio, quia tamen & in genere omnis defectus removetur, & liberatio ab infernalibus poenis indicatur, nec hoc planè est omissum; quia & Propheticum sine Sacerdotali non potest in CHRISTO consistere, iccirco hoc præsupponitur, & implicite innuitur, quod explicitè Psal. præced. saterat declaratum. Reliqua vero duo jam ordine sequuntur. *Officium CHRISTI Propheticum* est, quo nobis voluntatem Patris revelat, & ad salutis viam nos informat. Igitur scopus ejus principalis est & primus: homines convertere, ac conversos in viis DOMINI conservare; quod textus tribus includit membris, ponendo *Conversionis (1.) Antecedentia*, (2.) *Constituentia*, (3.) *Consequentia*. Describuntur ergò *Antecedentia* v. 2. hoc modo: *in pascuis suis pascit me, & ad aquas quietas deducit me.* Vel rectius secundum Ebræa: *in pascuis herba tenera cubare me facit, & ad aquas quietum me leniter aut sensim ducit.* Ubi duo juxtà indicantur, quorum I. est *pascere in*

pascuis herba. מִינֵי (à singul. מִינִי locus, ו in נ mutato, ne duo vav concurrant) propr. significant mansiones & habitationes in locis pascuosis, quos sibi eligunt Pastores, *Zephan. 2, 6.* item tugurium, ubi Pastor se recondit, *Psal. 65, 13; Jer. 9, 10: cap 6, 3: cap. 25, 37: Joël. 2, 22.* à R. מִינֵי amœnus fuit, habitavit in loco amœno. Hinc LXX reddunt: *εἰς τόπον χλωῆς.* Hieronymus: *in loco viridi.* Pagninus: *in tuguriis germinis.* Felix: *in habitaculis germinis.* Melius omnes ac expressius quàm Vulgata: *in loco pascue.* Per מִינֵי תִּירָה autem seu pascua *herba* (ex idiotismo L. Sanctæ, quo in statu regiminis adjectivi loco substantivum adhibetur) significantur pascua *herbida* s. herbâ tenerâ plena, i. e. pascua amœnissima & saluberrima, quæ herbis teneris verno tempore prodeuntibus, & amœnitatem salubritatemque summam creantibus comparantur. Nam מִינֵי herbam *teneram* notat, quæ verno tempore prodit, ac differt ab עֵשֶׂב quæ *adultam* notat jam semen proferentem: quod discrimen ex *Gen. 1, 11: Prov. 22, 25: Joël. 2, 22.* liquet. Indigitanturque h. l. ea omnia, quibus DEUS non tam corpori, quàm animæ præcipuè prospicit de victu gratioso, h. e. quibus convertit nos ac in viis suis conservat, *Jer. 3, 15: Ezech. 34, 23: 1. Petr. 5, 2.* Suntque Verbum DEI & Sacramenta. Hæ sunt herbæ amœnissimæ, quæ non in agro sapientiæ humanæ, sed in spiritualibus pascuis, horto & paradiso Ecclesiæ florent, nobisque ad manducandum offeruntur: hæ sunt herbæ saluberrimæ, quæ vitam spiritumque nobis conferunt. De Verbo Ipse loquitur Jehovah *Deut. 8, 3: Matth. 4, 4: Job. 6, tot.* Sic de Baptismo fit sermo *Job. 3, 5: Tit. 3, 5.* & de Sacrà Cœnâ, *Matt. 26, 28. &c.* His pascuis non solum pascit nos CHRISTUS, neque *ad ea tantum nos collocat*, ut Vulg. Lat. habet, neque tantum *acclinat*, ut Hieron. & Justin. vertunt: sed si proprietatem vocis Ebrææ spectemus, *cubare nos facit*, (יִרְבֵּץ יְיָ enim est 3. fut. 2. Hiph. à R. רָבַץ cubavit, propr. de quadrupedibus) i. e. ipse author hujus beneficii unicus existit, ac dein etiam nos manere facit, & tanquam in umbris tranquillè quiescere. Græcè: *ἐκεῖ με κατασκύωσεν*, *ibi mihi tabernaculum fixit.* Particula *ἐκεῖ*, *ibi*, redundat, notatque emphasin, ut *Lorinus* habet. Verbum autem רָבַץ usurpatur de grege, *Genes. 49, 9: Cant. 1, 7: Esa. 11, 6: cap. 13, 20: Jer. 33, 12: Ezech. 34, 14. 15.* de

no-

nobis autem usurpatum monet, quòd non tantùm CHRISTUS
 nos semper, modò velimus & non resistamus, cives & incolas Ec-
 clesie sue agnoscat, sed & ut in Verbo DEI ipsi maneamus die ac
 nocte, *Psal. 1, 2.* idque scrutemur, *Job. 5, 39.* & sub eo tanquam lucer-
 nâ tutissimâ ambulemus, *2. Petr. 1, 19.* Quemadmodum fecere Ber-
 rhoenses, *Actor. 17, 11.* Nam qui non in his pascuis delicias quærit,
 in æternum cogetur esurire ac sitire, *Esa. 65, 13.* II: quod conversionem
 antecedit, est *ad aquas requietum deducere.* Idem suprâ dictus idio-
 tismus L. Ebrææ occurrit, & per מנוחה aquæ quietissime,
 quales describuntur *Esa. 8, 6.* (posteriori substantivo per epitheton
 explicato) innuuntur. Hieronym. Justin. LXX & Lat. Vulgat.
 reddunt: *aquas refectiois aut refocillationis;* & B. Luther. *frisches*
Wasser ab effectû. Pagninus: *aquas requietum.* Tigurina: *aquas*
tranquillas. Particula *על* suprâ vel super interdum quoque *secun-*
dum vel juxta significat, *Gen. 1, 20: cap. 16, 7: Psalm. 1, 3.* quem significa-
 tum & hîc quidam assumunt, ut Jun. & Tremellius: sed meliùs à
 Piscatore per *אד* AD explicatur, quia deductio ad aquas fit *ada-*
quandi causâ, prout etiam sumitur *Gen. 38, 12: Levit. 21, 11: Cant. 8, ult.*
Psal. 18, 40: Esa. 22, 15: Jerem. 25, 2. Per aquas autem ipsas iterum ea
 omnia intelliguntur, quæ animam nostram reficere, quietamque
 reddere possunt, scil. Verbum & Sacramenta. Et respexit Psalmi-
 sta hîc ad morem Pastorum in Palæstinâ vicinisque regionibus, quæ
 erant siticulosæ & aridæ, nec ita frequentes aquis, ut patet ex histo-
 riâ Isaaci & Jacobi: idcirco oportebat oves à pastu bis de die ad po-
 tum deduci, quò magis refrigerarentur & recrearentur. Sic & hoc
 de Verbo & Sacramentis spiritualiter verum est. Nec propterea
ταυτολογία committitur. Hoc enim non est inusitatum in ser-
 mone allegorico, ut una eademque res diversis similitudinibus il-
 lustretur, in Psalmis præsertim. In specie vero possunt istæ aquæ
 notare Spiritum Sanctum cum donis ordinariis, *Esa. 44, 3: Joël. 2,*
28: Job. 7, 38: Actor. 2, 17. Sangvinem CHRISTI fide apprehensum,
Job. 4, 10: cap. 6, 53. Baptismum, *Job. 3, 5: Ephes. 5, 26.* Evangelium,
Psal. 68, 10. 12. Vitam denique æternam, *Apoc. 21, 6: cap. 7, 14. seqq.* Hæc
 omnia rectè aquis comparantur. Uti enim per aquam primò sitim
 restinguimus, deindè corpora quoque refrigeramus: ita sitim ani-
 mæ per ea restinguere animasque tentationibus calentes reficere pos-
 sumus.

sumus. Undè & aquæ *quietum* dicuntur מַיִם שְׁקֵטִים *quietum amaranarum*, uti *Ruth. 1, 9: i Reg. 8, 56.* describuntur; quò refertur Græcum ἀναπαύσεως, quæ potu tempestivo paratur ovibus, quod *Bucerus* annotat: quia & ipsæ quietæ sunt, & placitè quiescere faciunt. In plurali verò *aquæ*, quia non unam quietis habent rationem, sed variam. Faciunt enim quiescere in temporalibus ac spiritualibus periculis, nosque defatigatos iisdem reficiunt, *Psal. 42, 2. 3.* Ad has aquas non tantùm ducit nos CHRISTUS, sed & מַיִם leniter nos ducit, seu sanfte vnd seuberlich/veluti R. Ab. Esra & Kimhi exponunt, atque *Esa. 40, 11: cap. 49, 10: Psal. 31, 4.* accipitur: imò ἐξέθρεψεν, ut LXX habent, *enutrit ac educat nos; & habitare nos facit*, ut Chaldaeus interpretatur. Quæ omnia in omnibus malis firmum præbent solatium. Qui E. sitiens est, veniat ad hanc aquam, obsecundet ductui Pastoris, ac verâ fide bibat, *Esa. 55, 1.* Non sitiet in æternum, sed aqua illa fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, *Job 4, 14.*

Πορίσματα. 1: Ergò Ecclesia Verbo & Sacramentis carere nequit.

Enthusiastæ, Schwenkfeldistæ, & Weigeliiani, dum verbum lectum atque prædicatum rejiciunt annihilantque, Sacramenta non esse necessaria censent, & præsertim Baptismum, Tempia verò & Scholas infernalis pestis cathedras esse docent; omnes in contrariam sententiam hujus positionis eunt. Verùm similitudo ista, quâ tam Verbum, quàm Sacramenta comparantur *pascuis & aquæ quietæ*, non solummodò ea tanquam cibos suavissimos, sed & summè necessarios commendat. Ut n. ovis sine pascuis vivere & conservari nequit, ita nos Verbo DEI & Sacramentis carere planè non possumus. DEUS enim nobiscum hodiè non agit immediatè, neque per oracula & Prophetas, sed per Verbum & Sacramenta *Ebr. 1, 1.* Hinc remittit nos ad scripturam, *Esa. 8, 20: Matth. 22, 29: Luc. 16, 29: Johan. 5, 39: Actor. 20, 27.* & Baptismum ut necessarium urget, *Johan. 3, 5.* Nec tamen hîc de potestate aut facultate, sed voluntate DEI sermo est, quòd nos sine talibus mediis, ordinariè salvari nolit.

2. Ergò dogmata fidei ex solâ Scripturâ decidenda sunt,

Deci-

Decidunt tam res fidei quam morum *Pontificii* ex Scripturâ, traditione non scriptâ, & autoritate Ecclesiæ; *Calviniani*, *Photiniani*, & *Arminiani* ex Scripturâ juxtâ & Ratione humanâ; *Weigeliani*, *Enthusiastæ*, *Schwenkfeldistæ* & *Anabaptistæ* ex verbo interno, raptu clandestino, revelationibus angelicis, &c. Verum omnes contra voluntatem mandatumque Divinum, quippe ut Scriptura pascua intelligitur, ita sunt explicanda, sed nullum horum præter Scripturam nobis hodiernis temporibus in Scripturâ commendatur, *Gal. 1, 8*. Quapropter omnes bonorum Pastorum officio destituuntur, quia suas oves non ad *mera, sana, limpida, & pura DEI Verbi pascua* deducunt.

3. Ergo laici non sunt à lectione Scripturæ, nec à calice in SS. Cœnâ arcendi.

Hoc dum faciunt *Pontificii*, etiam oves suas non in vera & salutaria animæ pascua ducunt, sed seducunt potius ac spiritualem ipsis ægrimoniam inferunt. *Ovibus* omnibus pascua sunt summè necessaria, sic & laicis, non solum clericis, Verbum DEI & Calix Dominica; quia nec Scriptura ipsa circa fruitionem hujus pabuli laicos à clericis secernit ac discriminat. Hinc beatus ille prædicatur, cujus oblectatio est in lege Domini die atque noctu, *Psal. 1, 2*. & integram demum Cœnam accipit, qui utraq; specie potitur, sic jubente Christo in institutionis Verbis.

4: Ergo tam Verbum, quam Sacramenta suum sortiuntur effectum.

Sunt, qui Verbo & Sacramentis tantum vim significativam, non effectivam adscribunt. Qui enim scripturam literam mortuam vocant, fabulisque *Æsopicis* & aliis inutilibus comparant, ut *Schwenkfeld*, *Weigel*. & *Papistæ*, omni eam operatione spoliant. Sic & iterum *Pontificii* ex opere operato Sacramenta salvare dicunt. *Calviniani* sine Verbo externo contingere Sp. Sanctum docent, *Papisticum*que commentum vocant, quando quis dicit, Sacramenta vim salvandi habere. *Photiniani* & *Arminiani* Baptismum ritum tantum temporarium, Cœnam representationem appellitant. Falsi omnes & erronei. Nam sicut pascua nutriunt ad corporis satietatem, sicut aqua refocillant & quiescere faciunt: sic Verbum & Sacramenta in nobis animæ satietatem, quietemque in temporali-

ralibus ac spiritualibus operari suprà dictum est. Confer *Psal. 119, 105: Actor. 13, 26: Rom. 1, 16: 1. Cor. 10, 16. 17: Tit. 3, 5: Ebr. 4, 12.*

S. 2. CHRISTUS Pastor noster est Propheta, 2: per pabulum animæ nos convertens.

Sequuntur nunc v. 3. Conversionem Constituentia, quando dicitur: *Animam meam convertit.* LXX: ἐπέστρεψεν, *reducit*, scil. in veram viam. Junius & Tremellius: *animam meam quietam facit.* Hieronymus: *refecit*, Symmachus: ἀνεκλήσατο, *recuperavit reacquisivit*, *lest sie wieder zu sich selber kommen.* B. Luther. *Er erquicket meine Seele.* In Ebr. est vox שׁוּב quæ ὑπόστασις ac principaliter significat redire, reverti; & in Piel facere ut quis redeat, vel, reducere: δευτέρως & secundariò itidem in Piel significat recreare, s. facere ut quis ex deliquio ad se redeat. De *Conversione* si accipimus, videlicet à malo culpæ, illicò recordamur, cuius sit opus *Conversio* nostra, nempe non hominis, 2 *Cor. 3, 5.* sed solius DEI & Pastoris nostri CHRISTI, cui h. l. animarum conversio tribuitur, & *Jerem. 31, 18. 19.* Hic Solus nos dilexit, cùm adhuc essemus inimici, *Rom. 5, 8. 10.* Hic Solus invenire poterat ac ordinare media conversionis, *Job. 3, 16: Actor. 17, 30: Gal. 4, 4.* Quocirca ipse est, qui operatur in nobis velle & perficere, *Phil. 2, 13.* Qui autem converti debet, cum antè à DEO aversum fuisse necessum est. Nam שׁוּב significat redire, quod ab initio omninò præsupponit. Et hoc iterum argumentum est, quo naturæ nostræ corruptionem probamus, quâ de re jam suprà est actum. Aversi vero sumus per lapsum à DEO ad diabolum, *Ephes. 6, 12: 2 Tim. 2, 26.* revertamur à diabolo ad DEUM. Aversi sumus à justitiâ ad peccatum, *Esa. 59, 2: Rom. 6, 16.* revertamur à peccato ad justitiam. Aversi sumus à S. angelorum consortio ad mundum, 2 *Cor. 10, 4.* revertamur à mundo ad angelorum cætum. Sic reverà erimus conversi. Comprehendit autem vera *Conversio* *Cor-dis contritionem & veram fidem.* Ad *Contritionem* referimus (1.) *peccatorum agnitionem*, quâ sine nemo propter peccata contristari potest, ut exempla sunt *Gen. 3, 6: cap. 4, 9: cap. 19, 14: 2 Sam. 11, 5: cap. 12, 5.* (2.) *peccatorum deplorationem*, quâ sine nemo verè agnoscit peccata, sed iisdem delectatur, *Psal. 32, 3. seqq.* quam requirit Ipse DEUS *Joël. 2, 13: Jac. 4, 9.* quam habuit Maria Magdalena, *Luc. 7, 37. seqq.*

& populus DEI, Num. 21, 7. &c. quam sequitur. (3.) *fugiendi peccata propositum*, quo sine poenitentia mera hypocrisis est, & DEO non accepta, Matth. 7, 21: 2. Petr. 2, 22. Quod Zachæus ac Publicanus probè observârunt, Luc. 18, 14: cap. 19, 8. Altera Conversionis pars est *vera fides ac fiducia* in CHRISTUM Pastorem nostrum ejusque Meritum, sine quâ contritio bona & utilis esse nequit, sed in desperationem vergit, ut Cain & Judas sunt exemplo, Genes. 4, 13: Matth. 27, 4. Quando vero *כַּיָּשׁ* sumitur improprie pro *refectione*, tunc à plerisque exponitur de conversione à malo poenæ (uti adhibetur Psal. 34, 20.) & monet nos de refectione & tranquillitate etiam in adversis. Animæ nostræ turbatæ & oneratæ sunt non tantum egestate & aliâ cruce, sed & ipsâ morte, Ephes. 2, 1: Col. 2, 13. ac proindè languidæ redditæ à morfu serpentis antiqui diaboli, Genes. 3, 15: Luc. 10, 34. Opus E. est, ut quietæ reddantur ac reficiantur. Alia vero dari quies & refectio nequit, ac ea, quæ est à Pastore nostro, qui solus hoc præstare potest, Gen. 3, 15: Hos. 12, 14: 1. Cor. 15, 55. Ut taceam refectionem animæ in externis quoque angustiis & calamitatibus. Quæ omnia si ritè expendantur, optimum in omnibus tribulationibus refrigerium, quo animæ nostræ sanantur ab omni malo, creabunt.

Πορσιματα. 1: Ergò **Conversio nostra omninò est necessaria.**

Conversionem è medio videntur tollere *Novatiani*, qui post Baptismum lapsos posse iterum redire ad Gratiâ negant. Sed his Psalmus noster è diametro contradicit, dum & Conversionem Pastori nostro adscribit, & Davidem circumcisum (in cujus circumcisionis locum successit in N. T. Baptismus) converti ab ipso asserit. Sic enim de seipso David: *Dominus convertit animam meam*. Et in Psal. 51, 2. seqq. petit iterum post lapsum suum gratiam & Spiritum Sanctum à DEO. Sic alia Scripturæ testimonia pro sententiâ orthodoxâ adsunt, Ephes. 18, 13. seqq: Joël. 2, 13: Job. 21, 15: Actor. 17, 30: 2. Petr. 3, 9. & exempla sunt innumera, præcipuè Aaronis, Exod. 32. Davidis, 2. Reg. 11. Manassis, 2. Paral. 33. Matthæi, Matth. 9. Petri, Matth. 26. Publicani, Luc. 15. Zachæi, Luc. 19. Pauli, 1. Tim. 1. &c.

2: Ergò solus DEUS convertit nos, nobis haud cooperantibus.

D

Errant

Errant omnes illi, qui conversionem homini, tanquam causa, simul adscribunt, veluti *Pelagiani, Synergista, & Pontificii*, quin omnes illi, qui liberum arbitrium censent integrum post lapsum, quos in *πρόσω. 2. apb. 1.* adduximus. Etenim David in Psalmo nostro simpliciter & absolutè Pastori suo Conversionem suam tribuit, seque penitens ab ipso actu excludit, quando ait: *ipse animam meam convertit.* Et adduximus argumenta Scripturæ in *aphor. preced. 2.* quæ huc referantur. Interim scimus, concurrere voluntatem humanam ad hominis conversionem, ut *subjectum convertendum*, quod *ἡνάγκη* passivam, ut Spiritum Sanctum patiat in se efficacem esse, suscipere potest.

3: Ergò fides quoque est pars vera pœnitentiæ.

Conversionem veram quando jam explicuimus, in duobus diximus eam consistere, nimirum contritione ac fide. Falsò itaque definiunt adversarii Pontificii pœnitentiã s. conversionem, per solam contritionem, quibus adstipulantur *Calviniani* quidam, qui fidem quidem ad pœnitentiã requiri admittunt, sed negant, eam pœnitentiã constituere, h. e. essentialẽ ejus esse partem. *Arminiani* dolorem intimè constituere pœnitentiã asserunt. *Sociniani* fidem non partem pœnitentiæ, sed consequens appellitant. Enimverò potest esse contritio, ita ut non statim sequatur pœnitentiã vera, scil. quia potissima pars pœnitentiæ deest, nempe in CHRISTUM fides. Sic contriti erant Cain, Saul, Achitophel, Judas, nec tamen veram agebant pœnitentiã, quia in peccatis desperabant. Igitur etiam Spiritus Sanctus de Conversione Davidis loquens tale usurpat verbum, quod *refectionem* simul (quæ ex verã fide in Meritum CHRISTI resultat) importat, quemadmodum in *preced. apbor.* indicavimus.

S. 3. CHRISTUS Pastor noster est Propheta 3: in semitis justitiæ nos ducens.

Consequens Conversionis est *Nova Obedientiã*, de quã Psalter eod. v. 3. sic ait: *Ducit me per semitas s. vias justitiæ propter Nomen suum.* *לַדְרֹוֹת רַעִיָהוּ, via*, quoniam in scripturis significat sæpius vitæ nostræ institutum, sive bonum, sive malum sit: Igitur additur hîc *פְּרָט* ut indicetur in bonam partem hîc accipiendum esse.

se. Per *semitas E. vel vias justitiæ* intelligimus studiū bonorum operum, quod itidem in nobis excitat solus DEUS, ita tamen, ut conversi jamdum & renati eidem cooperemur, & in viis DEI ambulemus, licet imbecillè atque imperfectè. Nam quamvis rectè quoque per *semitam justitiæ vera fides* intelligitur, utpotè quâ itidem coram DEO dignè ambulamus, quæ etiam, ratione augmenti cum primis N: Obedientiæ pars est, ut ita nō habeamus nobis contrarios sic exponentes; quia tamen jamdum in ipsâ Conversione de eâ sumus locuti, eamque constituere, quatenus ut justificans consideratur, non verò consequi Conversionem diximus; ideoque nunc per Obedientiam Novam, quâ fides per bona Opera declaratur, explicamus. Quia vero & in hac vitâ rectè versari ultrò non valemus, igitur duce opus est, quem neminem alium scit David, ac Pastorem nostrum, CHRISTUM, qui & ob hanc causam via nominatur, *Johan. 14, 6.* Ille facit, ut nos in *viis præceptorum* Ejus rectè incedamus, & in novitate & sanctitate vitæ progrediamur, *Luc. 1, 74: Rom. 6, 4.* in *viis vocationis* dignè ambulemus, *1. Thessal. 2, 12.* in *viis salutis* ita nos geramus, ut per ipsum, tanquam veram viam, ad vitam æternam perveniamus, *Job. 3, 15: cap. 14, 6.* in *viis consolationis* læti simus, ut firmum sub cruce habeamus solatium, *Apocal. 7, 14.* Si tandem *viam vitæ æternæ* velimus invenire, quæ via est Sancta, *Esa. 35, 8.* via pacis, *Luc. 1, 79.* via recta, *Actor. 9, 11.* via angusta, *Matth. 7, 13.* In hac viâ, vel *super* hanc viâ, ut *Ebr.* sonat; vel *per* hanc viam, ut *LXX* habent, cum *Vulgat. Lat. Hieron. Felice, & Pagnino;* ducit nos *propter Nomen suum*, i. e. propter id, quodcunque est gloriosum in DEO, propter seipsum, propter suam beneficam voluntatem & misericordiam in promissionibus exhibitam; quo sensu vox ista habetur *Psal. 25, 11.* Sæpè namque Nomen DEI pro Ipso DEO ponitur, propter simplicissimam suam essentiam, quâ Ipse est Nomen suum & id quod vocatur: sæpè etiam attributa DEI vocantur Nomen Ejus, uti sit *Matt. 28, 19.* Chaldæus vertit: *Propter fortitudinem Nominis sui;* sensu eodem. Cur vero non dicit David: propter misericordiam; sed, propter *Nomen suum*? Resp. DEUS quidem potest esse ac est in sese bonus, misericors, justus, & omnipotens, etiamsi talis esse nesciatur: at insuper tamen bonus, misericors, &c. vult à nobis quoque agnosci & prædicari, quod per hanc ipsam phrasin innuit.

Psaltes, quia nomen dicitur quasi *novimen*, quòd per illud aliquis cognoscatur. Cùm itaque hujus Pastoris bonitas sit ejus nomen, & quidem tale, quod non inani titulo, sed reverà obtinet, nunquã non potest secundum illud nomen suum agere erga suas oves, sicque & nos per Spiritum sanctum suum ducere in terrã rectã, *Psalms. 143, 12.* Asserit autem David hãc particulã, *propter Nomen suum*, tùm causam impulsivam beneficiorum CHRISTI, quæ est Gratia Ejus & misericordia, à quã omnia bona profluunt: tùm finalem, videlicet laudem gloriosæ gratiæ Ejus, in quam directa sunt ista beneficia, ne meritis nostris, sed soli DEO adscribamus ea, cœu *Cassiodorus in h. l.* monet, eaque propter Eum celebremus.

Πορίσματα. 1: Ergò Nova Obedientia non est pars pœnitentiæ.

Incongruè *Pontificii, Photiniani, & Calviniani* partem essentialem pœnitentiæ bona opera constituunt, cùm tamen *consequens* saltem ejus sint, & ex verã fide resultent. Ita Scriptura vocat eadem fructus pœnitentiæ, *Matth. 3, 8.* Fructus autem pars essentialis ejus, cujus fructus est, esse nequit. Adde: Opera fidei opponuntur, *Rom. 3, 28: cap. 4, 5: Galat. 3, 9. 10.* E. in influxu ad conversionem conjungi planè nequeunt. Nam opera illa aut essent ex fide, aut sine fide: si ex fide, tunc non ingrederentur Conversionem, sed fidelem & conversum ut effectus insequerentur; si sine fide, tunc bona non forent, neque DEO placerent, *Ebr. 11, 6.* Requisitum ergò potiùs, quàm pars Conversionis, N. obedientia est appellanda.

2: Ergò Bona Opera non justificant, neque salvant.

Diximus, *Consequens* tantum esse Conversionis Novam Obedientiam, in quã non perfectè ambulare, quamque à nobis ipsis præstare nõ valeamus: nihil itaque mereri, nec nos ad cœlum evehere possunt. Malè E. *Pontificii, Photiniani & Arminiani* justificationem & salvationem Bonis operibus (quamvis interdum sint pessima) vel etiam fidei, quatenus actio & opus est, & quandoque tantum historica, adscribunt. Facienda esse illa, non negamus, ut declarent nostram fidem, *Jac. 2, 18.* sed neminem tamen ad cœlestem Patriam ducunt. Adhæret enim ipsis peccatum, *Rom. 7, 21.* sequunturq; demum justificationem, *Galat. 5, 6. 22.* præcedunt sal-
vatio-

vationem, ceu credentium *nota*, *Matth. 5, 3. seqq.* Hinc per Gratiam DEI, & Meritum CHRISTI, fidemque in illud excluduntur *Esa. 43, 25: Rom. 3, 28: cap. 11, 6: Eph. 2, 8.*

§. 4. CHRISTUM Pastorem verum quoque Regem habemus; & quidem 1: quoad defensionem.

Ultimis tribus versiculis describit David *Pastoris nostri Officium Regium*, quo in cœlo & terrâ gubernat omnipotenter omnia, suamque Ecclesiam tuetur. De hoc enim David (1) *Ovium defensionem*, (2) *exaltationem* adducit. Prius quod concernit, duorum facit mentionem, à quibus oves defendat. Unum est *Vallis s. umbra mortis*, v. 4: *כִּי אֲבֹרְךָ* *Etiamsi, veletiam cum, ambulavero per vallem umbrae mortis, &c.* In quibus verbis est Ebraismus, & idem est *בְּגִיַת צִרְמֹת* ac si dicatur: *in valle letbali s. valle morientium*, quæ aliquem ad mortem usque terrere potest, ac *Germanicè* dicitur *Zodenthal* | *Esa. 26, 19. 20: Sinsterwalde* | *cap. 9, 2.* Per mortem verò rectissimè intelligitur (1) *temporalis*, cui necessariò propter peccatum sumus subjecti, *Gen. 3, 19: Job. 11, 25: Rom. 6, 23: Ebr. 9, 27.* (2) *Spiritualis*, quæ est vel peccati, quâ in peccatis sumus quasi mortui, ante regenerationem, *Rom. 7, 10: Eph. 2, 5: Col. 2, 13.* vel *inferni & æterna*, *Job. 8, 51: cap. 11, 26: Apoc. 20, 6. 14.* (2) *metaphorica*, *pœnarum & periculorum*, quæ cum nos quasi occidere ac supprimere videantur, mortis quoque nomine veniunt, *Exod. 10, 17: 1. sal. 44, 23: Rom. 8, 36.* Et per has mortes omnes, (præter infernalem, & peccati mortalis, quod per finalem incredulitatem illius mater est, & quod à sciente ac volente perpetratur) transire Christiani coguntur. *Umbra* verò mortis dicitur, juxta aliquos quidem, quia ovi non ampliùs est mors. Si enim temporalem spectemus, est somnùs, *Matth. 9, 24: Joban. 11, 11.* quies, *Apocal. 14, 13.* transitus ad vitam, *Joban. 5, 24.* Sicuti enim ext. a CHRISTUM mors ista nobis ideò noxia erat, quòd per illam, ut stipendium peccati, perveniamus ad æternam damnationem: sic econtra pio hodiè terribilis esse neque potest, neque debet, cum in eâ id, quod mortis rationem habebat, sublatum sit. Umbra E. mortis tantùm manet. Ita quoque mors spiritualis, æterna etiam, terrere nos haud potest, siquidem in nos nullam ampliùs habet potestatem, *Rom. 8, 1: Apoc. 20, 6.* Per CHRISTI enim mortem ab illa

sumus liberati. Undè etiam nobis umbra solummodò, imò nihil, remanet. Mors autem periculorum resp. piorum mortis rationem minimè habet, siquidem illa cedit in ipsorum commodum, *Rom. 8, 28: 2. Cor. 4, 17*. Et eatenus mortem, quocunque etiam nomine veniat, *non timemus*. Non quidem, quasi ἀπαθεῖα sit in Davide, vel nobis; hinc non dicit David: se nihil timere; sed, se malum non timere, videlicet iram DEI & damnationem æternam: sed quia non ejusmodi metus adest, qui opprimat nos, quiq̄ue fidem excutere queat. Unde distinguitur inter timorem *filialem*, qui crucem non habet pro malo; & *servilem*, de quo *1 Johan. 4, 18*. legitur, quòd non sit in amore vel charitate. Alii verò exaggerationem voce illà contineri putant, quam sententiam comprobatur loquendi apud Hebræos ratio, ut umbra mortis sit umbra mortifera & gravissima; & scopus, qui periculum exaggerat, ac liberatorem & beneficium ejus commendat; ut & consequens. Unum enim adhuc Epitheton additur, quod est *Νῆα vallis*. Sicut enim vallis est inferior regionis pars, & obscuriorem umbram habet, undè omne id, quod est inferius atque obscurum, Metaphoricè nomine vallis venit, *Esa. 40, 4: Luc. 3, 5*. Sic quoque vallis mortis h. l. dicitur, quòd quasi per mortem descendamus, & obscuri fiamus. Undè datur (1.) vallis *tribulationum*, *Psal. 84, 7*. per quam quasi in infimo loco omnes veri Christiani ambulare coguntur, *Act. 14, 22: 2. Tim. 3, 12: 1. Petr. 4, 12*. (2.) vallis *sepulchri*, ad quod per naturalem mortem descendimus, *Esa. 26, 49: Gen. 37, 35*. (3.) vallis *inferni*, *Matth. 5, 25: cap. 11, 23*, ad quem, quia à morte æternâ liberati, non descendimus quidem, sed; soli damnati, *Matth. 25, 41. 46*. interim tamen in gravissimis tentationibus usq; ad portas pervenimus. Cùm igitur in tam tenebricosâ valle, & ἐν μέσῳ, in medio sæpè mortis, ut Latin. Vulg. & *LXX* habent, ambulemus, haud tamen timemus, ut suprâ dictum, quia cœlestis noster accedit Pastor, virgâ & baculo suo nos regens. Sicut enim ovis, licèt in tenebris ambulat, nil timet, nec cogitat, quomodo lupo queat resistere, sed hoc unicè Pastor curat: sic & nos Pastori nostro committamus omnia, Ille faciet, *Psal. 55, 23*. nosq̄ue defendet ac turbabitur, *Psal. 3, 6. 7: Psal. 37, 5: Psal. 56, 12: Psal. 118, 6. 7*. Quam tutelam ac defensionem David corroborat duobus argumentis. 1. Ducit à *Pastoris presentia*; quando ait: *quoniam tu mecum es*. Ubi non generalis,

ralis, quâ & impii fruuntur, *Actor.* 17, 28: *Ebr.* 1, 3. sed specialis præ-
 sentia intelligitur, quâ intimè fideles complectitur in Ecclesiâ,
Matth. 18, 20: *Job.* 14, 17 18. 23. Undè ita concludere possumus: Si Pa-
 stor noster CHRISTUS nobis præsens est, nihil possumus timere:
 sed verum prius est, E. & posterius. Major patet: Si ovis Pastore
 præsentem non caret defensione, cur nos non pari ratione certi
 de præsentia Pastoris omnem deponamus timorem? præsertim si co-
 gitemus, officium Ejus defensionem involvere. Consolationem
 itaque firmam in omnibus habemus anxietatibus, quòd timere non
 debeamus, quia *Nobiscum* sit CHRISTUS, 2. *Par.* 15, 2. *Immanuel* ve-
 rus, *Esa.* 7, 14. qui prospiciet de nostrâ liberatione, sicuti promissum
Psal. 27, 1. *seqq.* *Psal.* 91, 15. 16. à cujus charitate nemo nos separabit,
Rom. 8, 35. 2. argumentum sumitur à *Pastoris virgâ s. baculo*, quando
 dicitur: *virga & baculus tuus*, ipsa (*τὸ λεονατικῶς* sed *ἐμφορικῶς*) con-
 solantur me. Signum hîc pro signato ponitur, Metonymicè, & si-
 gnificat curam atque studium Pastoris nostri, cui per *ἀνθερωποπία-
 σεω* virga & pedum adsignantur. *Virga* in *Ebr.* redditur per
 טֹבֵט *Gracè* ἰδέδθ, & est propr. virga non tenuis & flexilis, sed
 crassiuscula, & firma, qualis 2 *Sam.* 18, 14. describitur: ac per Meto-
 nym. instrumentum s. signum gubernationis, & cùm de populi ali-
 cujus regimine usurpatur, sceptrum, *Genes.* 49, 10. quale & CHRI-
 STO tribuitur, *Psal.* 45, 7: *Psal.* 110, 2. Duo verò sceptrum involvit,
 potentiam videlicet erga inimicos, *Psal.* 2, 9. & gratiam erga amicos,
Esth. 5, 2. Utrumque & hoc loco vox hæc denotat. Undè conclu-
 dimus: Pastorem nostrum nos defendere sceptro omnipotentia,
 contra omne malum, ut judicem & belli ducem: sceptro verò gra-
 tia, videlicet Verbo & Sacramentis, nos pascere ut Patrem verum-
 que Pastorem. Additur in textu: *יָעֹשֶׂה* *baculus*, scipio, tul-
 crum, *Gracè* βακτηρία: quæ vox juxta plerosque non novum ali-
 quid notat, sed ipsum illud, quod per virgam s. sceptrum fuit indi-
 catum; fitque ideò, ut major emphasis indicetur, variosque defen-
 sionis DEI esse modos innuatur. Descendit à verbo *יָעֹשֶׂה* incu-
 buit, innixus est, sustentatus est in vitâ & spe: & quia per panem
 potumque sustentamur, hinc fit, ut istis tribuatur, *Levit.* 26, 26: *Ezech.*
 4, 16. 17. Mysticè deindè ad panem potumque spirituales refertur,
 Verbum

Verbum & Sacramentum. Si que de Cruce CHRISTI, vel morte
 potiùs in crucis ligno vel baculo toleratâ, quis exponere velit, haud
 aberrabit is ab analogiâ fidei, cum eadem sit nostrum quoque ful-
 cimentum ac solatium, quo nos in adversis sustentamus & erigi-
 mus. De his dicitur, quòd *consolentur* nos. נִחַם propr. est *dole-
 re*, sive suam, sive alterius vicem, & deindè *consolari*, *נִחַם אֶת־פְּגָעוֹ*
וְנִחַם אֶת־פְּגָעוֹ, quòd *consolatio* condolentiam præsupponat. Consolatio
 autem baculo & virgæ Pastoris tribuitur, propter effectum;
 & hoc loco quidem ratione defensionis à feris aut hosti-
 bus, & immunitatis ab omnibus periculis. In *Ebraeo* est נִחַמוּ
 consolabuntur, pro consolantur, ut actus continuus denotetur. Al-
 terum, à quo nos defendit Pastor noster, sunt *inimici*, v. 5: *Preparas
 coram me mensam è regione hostium meorum*. In quibus verbis tum
 beneficentiam erga pios *in mensa preparatione*, tum iram erga im-
 pios *in mensa oppositione* describit Psalter. Beneficentiam quod atti-
 net, ait: *preparas, vel preparabis*, *Ebraicè*, ut iterum actus continuus
 notetur, *coram me mensam*. שִׁלַּח est à R. שָׁלַח misit,
 quod de variis rebus usurpatur, hîc de cibis, quia fercula in men-
 sam mittuntur: & *mensa* sumitur pro cibo ac potu figuratè, quia ei
 imponuntur. Quo ipso innuitur, Pastorem nostrum non esse otio-
 sum, sed maximè sollicitum, ut nobis cibum paret, tum munda-
 num, *Matth. 14, 19: cap. 15, 27.* tum spiritualem, *Johan. 6, 35.* Non au-
 tem parat ferculum unum vel alterum, sed *mensam*, i. e. omnia ne-
 cessaria tam quoad hanc, quàm quoad æternam vitam, tam quoad
 corporea, quàm quoad spiritualia, *Matth. 7, 11: Johan. 16, 23.* Et non
 tantum *ponit*, ut *Hieronym.* habet, sed etiam *parat*. עָרַךְ i. e. propr.
 aptè ac certâ proportione & ordine omnia collocat, *Exod. 40, 4:
 Levit. 24, 6: cap. 6, 15: Ezech. 23, 41.* quod non fit in vulgaribus epulis,
 sed in lautioribus conviviis, quæ ad amicos excipiendos parantur;
 ut significetur summa nostri Pastoris cura, amor, & potentia in o-
 piparâ mensâ. Curæ ergò nostræ anxie sunt frustraneæ, & nihil
 profunt, *Psal. 127, 2.* quare prohibentur, *Matth. 6, 25: Luc. 21, 34.* Præ-
 parat autem CHRISTUS nobis præcipuè sextuplicem mensam.
 (1.) *Scripturæ*, *Prov. 9, 2. 3.* (2.) *Orationis*, *Ezech. 39, 20.* (3.) *Charitatis*,
1. Cor. 10, 21. (4.) *Gratiæ*, *Matth. 15, 27: c. 22, 10.* (5.) *Temporalis sustenta-*
tionis,

tionis, *Psal.* 78, 19. (6.) *Gloria*, *Matth.* 8, 11. Summa: Omnia parat, *Matth.* 22, 4. Beati vocati: Beatiores, qui veniunt ac omnibus fruuntur. Hanc mensam postmodum, quò iram suam ostèdat, instruit contra hostes nostros. כִּנְיָן *coram*, & etiam *contra* significat, quod utrumq; h.l. potest observari, quòd scil. CHRISTUS paret mensam piis, in còspectu hostium, ut videant, DEUM piorum habere curam & rationem, etiamsi fremat orbis & orcus: & quòd etiam paret mēsam piis cum impiorum vindictā, adversus hos ipsos, & in horum interitum ac perditionem, quod *Græcum* ἐξεναντίας subinnuit. Horū respectu est (1) *mensa confusionis*. Impii enim variè hīc affligunt pios, eosq; supprimere conantur, *Psal.* 10, 10: *Psal.* 14, 6. Undè dicuntur in *Ebræo* à כִּנְיָן quod est ligare, colligare, it. hostiliter agere & angustiis afficere: *Græcum* verò ἀλιβοντες, affligentes, & ingentibus doloribus afficientes denotat. Verùm DEUS suorum non obliviscitur, sed videt miseriam, *Psal.* 10, 12. 14: *Psal.* 94, 9. idcirco impios confundit, *Psal.* 37, 13. ut nolentes volentes justos agnoscere deniq; cogātur, *Sap.* 5, 1. (2) est *mensa odii ac invidiæ*, & consequenter *interitus*. Impii enim videntes, quòd DEUS pietatem suorum tandem remuneret, *1. Tim.* 4, 8. ob id odio commoventur, & dentibus fremunt, *Psal.* 112, 10. Undè sequitur invidia, *Sir.* 12, 8. quæ interitui demum eos adjudicat, *Psal.* 10, 15, 16. ut viæ eorum pereant, piorum verò maneat, *Psal.* 1, 6.

Πόρρωματι. 1: Ergò CHRISTUS reverà præsens est in his terris,

Omni præsentiam CHRISTO Homini quando tribuimus, hoc volumus, CHRISTUM etiam secūdam Humanam Naturam omnibus rebus ita præsentem esse, ut in ipso sint, moveantur, ac vivant, *Actor.* 17, 28. Nec tantum de generali præsentia istā, quā omnib. creaturis adest, regitq; ac portat omnia Verbo potentia, *Ebr.* 1, 3. sed & de speciali gratiosā intelligimus, quæ illam includit, quā præsens est Gratiā suā in Ecclesiā omnibus piis, eosq; regit ac inhabitat, *Matth.* 28, 20: *Job.* 14, 23: *Apoc.* 1, 13. Hanc sententiam varii variè impugnant. *Schwenkfeldio* Humana CHRISTI Natura est ante glorificationem non nisi in uno loco, post eam verò caro Ejus essentialiter ubique est, quippè juxta essentiam ipse DEUS; Verùm sicuti reverà carnem esse,

E

esse,

esse, ita omnipræsentem quoq; Humanam Naturam negat. : cùm tamen David CHRISTUM, quat. Pastor est, id est Homo, in terris præsentem esse dicat. Alii præsentiam CHRISTI Hominis ad solam Ecclesiam restringunt, non quidem quòd non possit, sed quòd Scriptura non asserat, Eum juxta Humanitatem Omnipræsentem esse. Verùm ut taceam *Psal. 110, 1: Ephes. 4, 10. &c.* absolum dico esse, si piis præsens, impiis verò minimè statuatur. Quà enim ratione illos ab his poterit tueri ac defendere? Hinc David ait non modò: *Tu mecum es*; sed etiam: *preparas mensam coram me è regione hostium meorum.* Porrò Calviniani, Photin. & Pontificii CHRISTUM quoad humanitatē in terris præsentem negant: quia in cœlum sublatus sit quoad eandem. Verùm ut taceam, CHRISTUM Pastorem, id est, hominem in Psalmo nostro præsentem in terris à Davide dici; dico istud: quòd Adscensio in cœlos præsentia in terris haud contrarietur, quia præsens invisibiliter absens est visibiliter, quod non nostrum, sed Scripturæ judicium est,

2: Ergò actiones personarum rebus inanimatis (vel etiam brutis) attributæ non destruunt personalitatem SP. SANCTI.

Quando nos probamus, SPIR. SANCTUM esse veram Personam, quia Ei tribuantur propria & actiones personarum: excipiunt ex hoc loco Photiniani, quòd etiam virgæ sive baculo (uti alibi aliis rebus inanimatis, interdum etiam animatis brutis) assignentur actiones personarum (videlicet quando in textu nostro dicitur: *virga tua & baculus tuus me consolata sunt*) nec proindè tamen reverà sint personæ. Sed Resp. (1) Verè ac propriè Spiritui Sancto competunt, quæ rebus inanimatis aut etiam brutis animalibus per profopæiam. (2) Virga & baculus h. l. non propriè, sed Metaphoricè sumuntur pro Verbo DEI, quod Vox est Spir. Sancti, & propriè atque verè consolatur. (3.) Non ex unâ vel alterâ actione & proprietate personarum, sed ex omnibus, ac totâ definitione probamus, SPIRITUM SANCTUM esse personam; quæ rebus & animalibus ceteris haud omnia conveniunt.

D. S.

§. 5. CHRISTUM Pastorem nostrum Regem quoq;
habemus 2: ovium exaltationem exerentem.

Alterum, quod in Pastore nostro, quoad Officium Ejus Regium, adducit David, est *Ovium exaltatio*. Quemadmodum enim in bono Rege ac Magistratu requiritur, ut non modò imperium suum defendat, ne evertatur ab exteris, sed & internè benè gubernet, justitiàmq; distributivam administret, ac benè meritos ad honores elevet, exaltetq;: Sic etiam Rex noster CHRISTUS satis abundè id facit, dum per quatuor gradus exaltat nos, quos ordiue Psaltes adducit. I. Gradus exaltationis est *Unctio*, v. 5. *Ungis vel impinguas caput meū* יְדֻשָׁנִי *cū vel in oleo.* 2 enim est nota instrumenti. Unctio olim duobus potissimùm generibus hominum conferri solebat. Regibus *1. Sam. 10, 1: c. 16, 13: 1. Reg. 19, 16.* & Sacerdotibus *Exod. 28, 41: c. 29, 7: c. 40, 13. 15.* Ungit itaque nos CHRISTUS in Reges ac Sacerdotes, *1. Petr. 2, 5: Apoc. 2, 6.* præsertim in Baptismo, Verbi prædicatione, & S. Eucharistiâ: Ubi verè Uncti DOMINI evadimus, ut in afflictionibus abundè gloriamur. In Reges quidem nos ungit CHRISTUS, ut omnem deponamus servitutem, secundum quam serviebamus olim peccato, *Rom. 6, 17.* & imperemus carni, ne regnet in mortali nostro corpore, *Rom. 6, 12: Gal. 5, 24.* mundo, quem judicaturi sumus, *1. Cor. 6, 2.* diabolis, quos in extremo die condemnabimus, *Rom. 16, 20: 1. Cor. 6, 3.* Non E. amicitiam cum diabolo, mundo, atque carne alamus, aut illis nos subjiciamus, sed eò laboremus, ut his omnibus imperare valeamus. In Sacerdotes verò nos ungit, ut DEO dignè vivamus, eiq; sacrificia offeramus: Sacrificium labiorum ac precum, *Hos. 14, 3: Ebr. 13, 15.* sacrificium corporum in sanctitatem, *Rom. 12, 1: c. 13, 12. 13: Eph. 4, 24.* sacrificium fidei, *Phil. 2, 17.* sacrificium beneficentiæ erga pauperes, *Matth. 25, 36. 40. Phil. 4, 14: יְדֻשָׁנִי* autem s. pinguedo, & in specie deindè oleum, quo ungitur, est imprimis Spiritus S. qui super nos effunditur, suisque donis spiritualibus nos ornat, *Psal. 45, 8: Act. 10, 38: 2. Cor. 3, 12: Ebr. 1, 9: 1. Job. 2, 20. 27.* Hic est oleum *oleorum* vel *unctionis*, ut Chaldaeus habet, ad designandū superlativum, summamque וְעֵשֶׁתֶּשֶׁבֶת atque eminentiam præ omnibus mundanis.

Sicuti namque oleum recreat, refrigeratq; : ita Spiritus Sanctus
 corda terroribus iræ divinæ anxia reficit. Oleum caliginosos
 Spiritus discutit: sic Spiritus Sanctus vapores & nebulas igno-
 rantia spiritualis dispellit. Oleum vegetat & lenit, quò facilior
 sit motus: ita Spiritus Sanctus excitat & promptos reddit nos ad
 ambulandum in viis DOMINI. Quo ipso monemur de vigilan-
 tiâ spirituali, ne securè vivamus, sed hanc nostram unctionem
 consideremus, quòd non oleo corporeo, sed Spiritu Sancto uncti
 simus, ne oleum hoc in nobis perdamus, unctionemq; amitta-
 mus, quod fit per peccatum, Sap. 1, 4. II. Exaltationis gradus
 est *Calicis exuberantis porrectio*. Ebræa sic habent: *Calix meus abun-*
dans est. Græca: ποτήριόν σὺ μεθύσκον ὡσεὶ κρητίζον. Vulgata La-
 tina: *inebrians quàm præclarus est*. Confundit hæc periodos di-
 stinctos. כִּי נֶעֱמַד נֶעֱמַד enim pertinet ad sequentem periodum, quod
 innuit præcedens distinctivus Silluc punctum constituens. Hie-
 ronymus & Justinus: *satians*. Felix: *superabundans*. Pagninus: *sa-*
turus. Junius & Tremellius: *exuberans*. Sive jam כִּי נֶעֱמַד calix meus
 dicatur, ut Ebr. sonat, sive כִּי נֶעֱמַד calix tuus, ut LXX. scripturam
 Hebræam hîc non attendentes legisse videntur; utrumq; verū
 est. Calix DEI est, quia is propinat; calix noster, quia nobis
 propinat; Veritas tamen Hebræa magis propter applicationē Em-
 phatica. Est autem calix duplex. (1.) *bonorum omnis generis*, ac
 notat eorundem abundantiam, Psal. 16, 11: Psal. 36, 9: Esa. 49, 10:
 Job. 4, 14: c. 10, 11: Apoc. 7, 16. 17. Per bonum quid intelligatur, su-
 præ monuimus: hoc loco tantum notetur, illa bona non parcè
 DEI dare, sed largiter, ut omnia abundant, præsertim spiri-
 tualia, quæ tamen impii non curant. כִּי נֶעֱמַד namque est irrigavit
 se, vel etiam inebriatus fuit. Undè quidam vertunt: *ebrians vel*
inebriatus est calix meus: & res eodem redit. Nam Scriptura
 spiritualem Christianamq; lætitiâ sæpè ebrietatem vocat,
 Ephes. 5, 18. quemadmodum inebriandi ratio, si à DEO piis pro-
 mittitur aut immittitur, in sacris semper in bonam partem accipi-
 tur. (2.) *Calix crucis*, Psal. 69, 5: Psal. 66, 12: Psal. 75, 9. Ut enim
 DEUS suis præparans mensam inter alia fercula crucem quoque
 apponit: ita & poculum crucis iisdem propinat. Hoc poculum
 crucis

crucis omnino quoque ad exaltationem referendum; siquidem
 crux non modo Christianis in bonum cedit. *Act.* 14, 22: *Rom.* 8,
 28: *2. Tim.* 2, 12. sed & insuper eos exaltat & ad gloriam ducit, *Psal.*
 18, 36: *2. Cor.* 12: 10: *2. Tim.* 4, 7. 8. Quapropter pro exaltatione
 crucem quilibet agnoscat, & eo ipso se in eam consoletur, **CHRISTUM**
 per crucem in gloriam praeeuntem sequatur, *Luc.* 14, 27:
 c. 24, 26. III. Exaltationis gradus est *bonitatis ac misericordiae*
collatio, v. 6. **¶** Certè, *Bonum & misericordia prosequuntur me o-*
mnibus diebus vitae meae. Per **בֹּנִי** Bonum intelligitur primario bo-
 num absolutè dictum, nihil admixtum habens malitiae, videli-
 cet spirituale, quod absolutè in Oratione petimus, *Matth.* 6, 9. 10.
 non verò corporale, quod certo tantum respectu bonum est,
 & cum conditione petitur, *2. Sam.* 15, 25. 26: *1. Job.* 5, 14 Per **רַחֲמֵי**
 vel *misericiam* verò intelligitur gratia divina, hoc est, fons om-
 nis boni, ac salutis nostrae causa, cui omne, quod habemus,
 unicè adscribimus, *Tbren.* 3, 22: *Ezech.* 16, 5. 6: *Jon.* 4, 2: *Rom.* 11,
 6: *Eph.* 1, 6: c. 2, 8 Hanc bonitatè & misericordiam nullum habitu-
 ram dicit finem Psalmista, sed ut inceperit, ita per omnes aetates
 duraturam esse, seu *καταδιώνειν*, ut est in *Græco*, ipsum persecu-
 turam, scil. ad benefaciendum, uti *Psal.* 34, 15. ad morem vena-
 torum feras persequentium, *καταχενσιν* tamen, quia hi ad in-
 teritum persequuntur. Sic Maria isthanc continuitatem laudat,
Luc. 1, 50. & Jeremias *Tbren.* 3, 23. & Esaias, c. 46, 4. & David *Psal.*
 71, 18. Quam & particula certificandi **¶** valdè corroborat.
 Id quod egregiam nobis consolationem praebet, quòd sub cruce
 omni firmiter tamen permaneamus in misericordia divinâ, *Exod.*
 34, 6. *seqq.* *Psal.* 19, 7. & ad illam ceu sacram anchoram salutis con-
 fugiamus, scientes, nil nos separare posse à charitate & miseri-
 cordiâ DEI, quæ est in **CHRISTO JESU**, *Rom.* 8, 38. 39.
 IV. Exaltationis gradus est *in domo DEI mansio*. Concludit et-
 enim Psalmista: *& manebo in domo Jehovæ in longitudinem die-*
rum, vel: *quamdiu longa erunt tempora*, ut Jun. & Tremellius ha-
 bent. Vulgata: *& ut manebo*. Sed **וְיָ** UT neque in Ebræo,
 neque in Græco legitur. Per *domum* hinc non intelligitur mundus,
 quia ibi non est mansio firma, *Ebr.* 13, 14. cum sit domus immun-
 da pe-

da peritura, *Psal.* 102, 27: *Mich.* 2, 10. Neque etiam mortalis hæc
vita, 2. *Cor.* 5, 4, quæ domus lutea & fragilis, *Job.* 4, 19. Neque se-
pulchrum, domus quidem, *Esa.* 2, 55, sed in quâ non manebimus,
verùm ex illâ egrediemur, *Esa.* 26, 2: *Dan.* 12, 2. Sed intelligitur
Ecclesia, quæ in hoc mundo est limitans, in cælo triumphans.
Ecclesia militans est domus DEI, *Gen.* 28, 16. 17: *Psal.* 27, 4: *Psal.* 84.
11: *Psal.* 122, 1. Domus sanctuarii DOMINI, ut Chaldæus vocat,
In quam ingrediemur per CHRISTUM, qui est ostium ad ovile,
quod nobis aperit SANCTUS SPIRITUS, *Job.* 10, 3. 7. Quam ce-
lebrem facit ipsa præsentia Regis nostri, sicuti civitatem com-
mendat Princeps aut Rex, si in illâ præsens resideat. Etsi verò
hæc præsentia Regis invisibilis sit, quia tamen visibilibus medi-
is utitur, in cœtu visibili quærendus est. Unde sequitur, quòd
frequenter accedere debeamus ad congregationes piorum, *Ebr.*
10, 25. In domo enim Dominum domus compellare possumus.
Ac licet DEUS ubique adorari valeat, *Job.* 4, 21. 23. peculiari ta-
men gradu gratiæ vult præsens in cœtu piorum esse, & nos exau-
dire, *Exod.* 20, 24: *Matth.* 18, 20. Et ita nomen Domus Ecclesiæ
Militanti tribuitur. Magis tamen propriè triumphanti, quæ in
cælo est, *Esa.* 32, 18. ubi CHRISTUS paravit mansiones, *Job.* 14, 2.
& ubi sunt innumeri Angeli & Sancti, *Ebr.* 12, 22. & ubi DEUS o-
mnia in omnibus erit. Ex quibus haud solummodò vitæ æter-
næ veritas, sed & ejusdem majestas comprobatur, ut verum in
nobis desiderium erga illam excitetur, cum Paulo, *Phil.* 1, 23.
Petro, *Matth.* 17, 4. & evolare cupiamus cum Monicâ Augustini
matre. Et in hac domo DEI erimus, Græcè, *habitabimus*, in per-
petuum. Sive enim *וּשְׁבַתִּי* derivetur à *שׁוּב* reversus fuit, quod
Grammatici nolunt, sicuti & David hunc Psalmum scribens non
exulavit à populo: sive à *וּשְׁבַתִּי* mansit, quod malunt, pro *וּשְׁבַתִּי*
quia *Jod* sit exclusum propter metrum, vel Musicam sic exigen-
tem: idem tamen notat, & præsentiam ad domum vel in domo
significat. Hinc quamvis è domo terrestri exire cogamur, haud
tamen è domo DEI egredimur, cum potius per mortem veluti
januam transeamus in illustrius conclave, *Job.* 6, 40. In Militan-
te Ecclesiâ manemus, quat. in gratiâ DEI perseveramus, neque
finaliter excidimus, *Matth.* 24, 24. Unde CHRISTUS clarè
nuntiat,

nunciat, neminem oves suas è manu suâ rapere posse, *Johan. 10, 29.*
Impii verò ac hypocritæ licèt quoad externam cõmunionem sint in-
militante, quoad tamen internam minimè, cùm putrida & infru-
gifera ejus membra sint. In Ecclesiâ verò Triumphante planè à
DEO non deficiemus, neque ad tempus, neque ad æternum,
1 Theff. 4, 18.

Πορίσματα. 1: Ergò unctio Papistarum per oleum materia-
le frustranea est, atque superstitiosa & illicita.

Pontificii per unguentum vel oleum, cujus mentio fit v. 5. mate-
riale intelligunt, quod adhibent in Baptismo, Confirmatione, Or-
dine, & extremâ Unctione, eiq̃ue singularem efficaciam adscribunt.
Verùm de hoc, cùm nihil in Scripturâ totâ extet, etiam textus hic
Davidicus explicari nequit. Rationes, cur Spiritus Sanctus intel-
ligatur potiùs, suprâ adduximus. Ac licèt pro suo identidem pu-
gnent adversarii, ex Scripturâ tamen non pugnant, neque pugnare
ἀληθῶς & ex rei veritate possunt, veluti eorum scripta luculenter
ostendunt, nostrorumq̃; *ἀντικείμενα*, quæ videri possunt. Impri-
mis autem ex *Jacob. 5, 14.* & *Marc. 6, 13.* probare id nituntur. Ast
cùm illa loca de miraculo usitato in Ecclesiâ primævâ, quo corpora-
liter ægroti tantùm sanabantur, loquantur, rectè B. Luth. in mar-
gin. improbat, quòd ad Sacramentum, & spirituales materiam
trahantur.

2: Ergò Electi non possunt excidere gratiâ DEI fina-
liter.

Ait quippè David, se in domo DEI (per quam & Ecclesiam
militantem & triumphantem intelligimus) *perpetuò mansurum*. Sed
qui manet in hac domo DEI perpetuò, gratiam quoque DEI & Spi-
ritum Sanctum necesse est ut in perpetuum habeat, quamdiu in
hac domo manet. Ac licèt etiam quoad tempus David peccave-
rit, gratiamque DEI amiserit, undè *Psal. 51, 12.* petit à DEO, ut Spi-
ritum Sanctum ipsi reddat: tamen non finaliter amisit, sed respi-
scens recuperavit. Hinc non negamus, electos posse gratiam DEI,
fidem, & Spiritum Sanctum amittere, sed quòd in æternum possint,
est *Pborin. & Huberianorum* figmentum, cui haud favere possumus:
impri-

imprimis aliter docente Scripturâ, *Matth. 24, 24: Job. 10, 29: Rom. 8. 30. 35. 38. & alibi.* Nos hîc finimus, DEO pro concessâ Assistentiâ gratias agentes, & rogantes insimul, ut & nos in electorum numero esse nobis largiatur clementissimè, quò in domo DEI cœlesti etiam maneamus in perpetuum. Faxit hoc, faxit, TriUnus DEUS, DEUS Pater, per Filium, in Spiritu Sancto, benedictus in omnia secula! Amen.



GRATULATORIA.

I.

PLene DEO FUCHSI (nam quis sine Numine Psalmum Explicet?) æternùm sit Tibi faustus honos.

Paulus Röberus D.

II.

ANDREAS FUCHSIUS

κατ' ἀνάγκη.

FUNDIS, CHARUS EAS.

Exhibet hæc CHRISTUM Pastorem charta Supremum,
Qui nostras animas, corpora quicq; cibet.

Ne pius hic labor est! merces Tibi Sacra docenti,

FUCHSI, est, nil deerit, quicquid in orbe boni.

Namq; DEI Verbi benè gustas pabula, FUNDIS

grata, gregi Pastor CHARUS EASq;: Vale.

M. Christophorus Giehra,

Mülh. Thur. P.L. Cæs.



05 A 1063

ULB Halle
003 755 037


3



V017 Ad.







Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow



Red

Magenta

White

3/Color

Black



VIDIS XXIII.

lio Viri

ntissimi & Amplissimi

SERI, SS. Theol.

-Decani, Alumnorum

ci Misnensis, &c. Celeberrimi:

honoratissimi.

ublicè sistitur

HSIO, Lipsiense

alaureo.

c XLV.



R G Æ,

ri, Acad. Typogr.

